Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

**Nutzungshinweise / Terms of Use**

Die Digitalisate dieses Webangebotes sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für private wissenschaftliche Zwecke ausgedruckt oder heruntergeladen und zu wissenschaftlichen Zwecken an andere, von Person zu Person, weitergegeben werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte in gedruckter oder elektronischer Form ist ohne zuvoriges schriftliches Einverständnis der Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel nicht gestattet. Dies betrifft im einzelnen Verkauf, Leihe, Lizensierung, Vervielfältigung und Verbreitung. Werden Digitalisate aus der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek ohne schriftliche Genehmigung der Herzog August Bibliothek auf anderen Internetseiten, Datenträgern oder Printmedien veröffentlicht, ist sie als Rechteinhaberin berechtigt, gemäß der niedersächsischen Gebührenordnung für die Bibliotheken des Landes und Hochschulbibliotheken vom 10.11.2004 (Nds. Gesetz- und Verordnungsblatt Nr. 32/2004), Anlage zu §2 Abs.1, Gebühren für die Veröffentlichung in Rechnung zu stellen. Rechtsgrundlage ist die Benutzungsordnung für die Landesbibliotheken vom 01.11.2004 (Nds. Ministerialblatt Nr. 39/2004) in der jeweils gültigen Fassung (vgl. Gebührenverzeichnis der HAB).

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Auskunft der Herzog August Bibliothek, Lessingplatz 1, D-38304 Wolfenbüttel (auskunft@hab.de).

Verlinkungen sind grundsätzlich erwünscht. Bitte verweisen Sie auf Digitalisate wie folgt:

- Im Druck: Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel [PURL], z.B. Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel [ http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm]
- Im Internet: HAB <a href="http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm">inkunabeln/14-astron</a>

---

All digital documents of the Wolfenbüttel Digital Library are protected by copyright. They may be printed or downloaded and forwarded individually to third parties only for non-commercial educational, research and private purposes. In doing so provenance marks attached to them must not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not permissible without obtaining prior written permission from the Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel. This explicitly includes selling, lending, licensing, reproduction and dissemination. If digital documents from the Wolfenbüttel Digital Library are published without the written permission of the Herzog August Bibliothek, the library as holder of the rights to its property is entitled to levy fees in accordance with the ordinance for the State and University Libraries of the county of Lower Saxony dating from 10.11.2004 (Nds. Gesetz- und Verordnungsblatt Nr. 32/2004; Anlage zu §2 Abs.1; confer „Benutzungsordnung für die Landesbibliotheken“ 01.11.2004, Nds. Ministerialblatt Nr. 39/2004).

For reproduction requests and permissions, please contact the information desk of the Herzog August Bibliothek, Lessingplatz 1, D-38304 Wolfenbüttel (auskunft@hab.de).

Links to our resources are welcome. Please refer to digital documents as follows:

- Print: Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel [PURL], e.g. Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel [ http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm]
- Internet: HAB <a href="http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm">inkunabeln/14-astron</a>

HAB Wolfenbüttel; 2.1.2009

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00001

725 Helmst. Drucke

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00002 DFG

(14)

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00003

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00004 DFG

14

# DE ACTIONE ORATORIA SIVE DE PRONUNCIATIONE ET GESTU

liber utiliſſimus,

Gallico idiomate ſine Auctoris nomine primum aliquoties, deinde Pariſiis & in Belgio ſub CONRARTI Secr. Reg. nomine editus,

nunc, ut pluribus uſui eſſe poſſit, Latinitate donatus.

Addita ſunt ex Rhetoricis ad Herennium, & M. Fab. Quintiliani Inſtitutionibus Oratoriis ea, quæ ad eandem artem faciunt, hodieque aliquem uſum habere poſſunt.

(o)

*HELMSTADI*,
Typis & ſumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

Anno M DC XC.

725 Helmst. Dr. (14)

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4

© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00005 DFG

*NOBILISSIMO ET CONSVLTISSIMO VIRO*

GEORGIO BVSCHIO

Reipvblicæ Patriæ Lvnebvrgenſ.

CONSVLI Seniori

Optimè merito atque merenti;

&

SCHOLARCHÆ vigilantiſſimo &c.

Felicitatem perpetuam!

NOn dubitat Gallicus hic Rhetor, belli quamvis tempore, Latino indutus habitu relictis Sequanis per Vbios, Angrivarios, & Chaucos, Rheno ſuperato & Viſurgi ad, Albis propemodum ipſa



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00007 DFG

oſtia penetrare ſeque eruditorum oculis & manibus ingerere, fretus innocentia ſua & humanitate illorum, qui Muſarum otium Martis ludo præferunt. Non quidem fugit ipſum, Illum cujus jam limina ſalutat & favorem captat ante hos duo de quadraginta annos Henr. *Hahnio* & Georg. *Wernero* in Academia Julia; deinde in illuſtri Wurtenbergica Wolfg. *Lauterbachio*; poſtea in Franekerana Jac. *Wiſſenbachio*, Juris Divini & humani Conſultiſſimis Viris, dudum pie defunctis, diligentem operam dediſſe, Eumque in Patriam reverſum Dicaſterio Civico multis annis præfuiſſe, & in Nobiliſſimo & Ampliſſimo Senatu jam dudum variis dirimendis litibus vigiles intendiſſi oculos: ut, ſi de *Actionibus Judicialibus*, tertia illa Jurisprudentiæ Juſtinianeæ parte, inſigni opere, quale Ant. Olibanus dudum procudit, ageret, faciliorem forte aditum ſibi polliceri poſſit. Non tamen propterea animum deſpondet, cum non ignoret Eundem

in

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00009 DFG

in juventute Generoſi *Dn. à Gunteroth* Filio, & poſtea Illuſtriſſimorum Ottingenſium Principum *Joachimi Erneſti* & *Chriſtiani Auguſti* in aula Sereniſſimi Ducis Saxoniæ ERNESTI ſtudiorum liberalium Moderatorem fuiſſe, & deinde tam in M. Britanniæ, quam in Galliæ & Belgii florentiſſimis Academiis & Emporiis, quis uſus tam Actionis forenſis, quam Oratoriæ eſſet, diligenter obſervaſſe: ideoque perſpectum habere Actionem Judicialem exiguis limitibus circumſcribi & litium fugitantes reperiri inter Chriſtianos non raro: ſed Oratoriam Actionem in omni vitæ genere, tam in Eccleſia quam in Foro, tam in virorum quam fœminarum cœtu, inter juvenes & ſenes, eruditos & rudes, adeoque nusquam, ubi quidem humana colitur ſocietas, ſuum luculentum uſum non oſtendere: Quin in Principum aulis inter Sereniſſimorum ſtudia hanc artem pronunciandi apparere, exemplo *Auguſti Imperatoris*, de quo Suet. Tranquillus teſtatur, *eum*

*dulci ſono pronunciaſſe & aßidue phonaſco operam dediſſe.* Sed hæc omnia cum ſint Tibi *Vir Nobiliſſ. & Prudentiſſ.* notiſſima, an ea quæ hic tradita, ſatis naturæ & rationi convenientia ſint, optime arbitrari poteris. Et cum jam aliud in promptu non ſit, hoc quæſo, animi multis modis *Tibi* obſtricti teſtimonium æqui bonique conſule. Divinam imploro ſupplex benignitatem, ut TE Reipubl. patriæ, Familiæ & Amicis ſalvum ac ſoſpitem diutiſſime tueri velit!

Dab. in Academ. Julia
Helmſtadii
Kal. Majis MDCXC.

*Nobilißimæ Amplitudini T.*

*devinctißimus*

MELCHIOR SMIDIUS.

Lectori

# Lectori Benivolo S.

AD ipſius hujus libri exigui Lectionem ſine mora Te. B. L. dimitterem, niſi quædam de Auctore ejus neceſſario præmittenda exiſtimarem. Libellus, cujus verſionem hic vides, ſub tali titulo prodiit. *Traité de l' Action de l' Orateur, où de la Prononciation & du geſte. Tres neceſſaire à tous ceux qui ont à parler en public. Par Mr Conrart Secretaire du Roy, du Maiſon & Couronne de France, joux te la Copie A Paris, Chez Sebaſt. Mabre-Cramoiſy, Imprimeur. du Roy. M DC LXXXVI.* Poſtquam perluſtravi, ſtatim judicavi eum dignum eſſe qui a pluribus, quam Gallicanæ linguæ gnaris legeretur, meumque conſilium aliis oſtenſum ita placuit, ut inſtigare me non deſtiterint, ad verſionem ejus quam maximè maturandam. Equidem non ignorabam alienos libros vertendi operam plus moleſtiæ & laboris, quam gloriæ aut emolumenti afferre, optans ut doctiſſimus Auctor hæc ex Græcis & Latinis pleraq; congeſta, Latine edidiſſet; Sed cum optimis quibusque Rhetoricarum Inſtitutionum ſcriptoribus hic palmam præripuerit, publica utilitas, quam nunc ad longe plures ex hoc opuſculo redituram exiſtimo, majoris mihi fuit, quam privatum aliquod commodum. Typographus itaque dum in excudendo progreditur, ego de prænomine *Conrarti* ſollicitius paulo inquirere cæpi, & indicatur mihi ab iis, qui hæc norunt, nec *Valentinum Conrartum*, qui Pariſiis Academiæ Francicæ anno hujus ſeculi trigeſimo ſuas commodavit

ædes,

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4

ædes, ut Peliſſonius in hiſtoria ejus docet, nec filiorum ejus quemquam hunc libellum erudito orbi reliquiſſe. Idem enim ille liber in minore forma, decennio ante, nempe A. D. M DC LXXVI. Lugduni prodierat, & quidem nullo Auctoris nomine adpoſito, *ſur l' imprimé a Paris chez Auguſtin Courbé.* Prodiit igitur prima & ſecunda vice hic liber ἀνωνύμως & ſine Auctore, cui dein Bibliopola, vel typographus forte, Conrarti nomen præſcripſit, cum tamen verus ejus parens videatur fuiſſe Michael le FAUCHEUR Eccleſiæ Carentonienſis quondam Miniſter, Vir doctiſſimus pariter & eloquentiſſimus, de quo Morerius in magno hiſtorico Dictionario ſuo hæc refert, *le FAUCHEUR* (Michel) *Miniſter de Charanton ſ' eſt acquis une grande reputation parmi ceux de ſa communion. Il avoit beaucoup d' eloquence & de probité. Il publia des Sermons, un Traité de l' Eucbariſtie: & Un de l' Action de l' Orateur Il eſt mort beaucoup agé à Paris, au commencement du mois d' Avril de l' annee 1657.* Pſeudonymorum igitur librorum Catalogum forte augebunt illæ editiones qui Conrarto hunc fætum tribuunt. Sed lectoris, & ad ipſius artis exercitium feſtinantis parum forte intereſt, hic ne, an ille, genuinus ejus fuerit parens, dum omnia quæ hic leguntur ſatis clare & ad noſtros mores accommodate, atque juſto ordine, conſcripta ſint. Quid de priſcorum Rhetorum doctrina de Actione ſtatuendum ſit, ipſemet Auctor recte indicavit. Non tamen propterea veterum illorum præſtantiſſimorum virorum monita plane negligi & contemni fas eſt, cum ex illis quam plurima depromta eſſe, vel hic ipſe liber affatim teſtetur. Ut enim in omni ſtudiorum liberalium genere, ita hîc quoque comparatum eſſe debet, ut veterum bene conſignata & per tot ſeculorum decurſum ad nos devoluta præcepta, obſervata, cogitata non ſolum

non

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00012 DFG

non planè prætereantur, ſed diligenter cum recentiorum ſcriptis conferantur. Ideo, cum verear ut Quintiliani Inſtitutiones Oratoriæ, & Cornificii (ita enim vulgo exiſtimatur) ad Herennium libri in omnium illorum, quos lectio hujus libelli delectabit, & utilitas hujus ſtudii ad exercitium horum præceptorum invitabit, ſint manibus, malui ex Auctore Rhetor. ad Herennium omnia, ex Quintiliano vero potiora hic, appendicis inſtar, addere, reliquis, ad noſtros mores plane non pertinentibus, omiſſis, ne, quod Auctor vitavit, liber excreſceret in majorem molem. Comparatio enim eorum quæ priſcis tradita ſunt, cum iis quæ χθὲς καὶ πρώην in lucem edita, non parum utilitatis & delectationis cordato lectori afferet. Indice rerum memorabilium in tantillo opere, cujus omnes partes optimè cohærent, opus vix fuerat: quia tamen editio Gallicana, quæ ultimo prodiit, eo memoriæ adminiculo inſtructa eſt, nolui huic quicquam ad illam perfectionem deeſſe.

Sed jam de ipſo hujus libri argumento, poſtquam de Auctore ea quæ neceſſaria videbantur, indicata ſunt, pauca. Ex quo liberalium artium cultus renatus, & ſcholæ, cœnobiorum tenebris remotis, amæniores efflorеſcere cæperunt, alii Rhetorica præcepta in univerſum tradere, alii ad ſacrum verbi Dei in Eccleſia docendi uſum applicare eadem inſtituerunt; quorum quidem illi hæc bene pronunciandi præcepta leviter tantum attingere, quam prolixius tradere maluerunt, hi vero, cum quotidie enormes ineptorum Oratorum & Monachorum vidiſſent errores, diligentius id egerunt, ne divino Numinis æterni verbo, ejusque vigori aliquid detrimenti ex negligentia & inertia Concionatorum accederet. Eo itaque fine *Eraſmus Roterodamus* Eccleſiaſten ſuum etiam hac parte informatum voluit. *Ludovicus Granatenſis* Dominicani ordinis Theo-

logus & Orator celeberrimus Rhetoricæ Eccleſiaſticæ ſuæ libro VI, pleraque à Quintil. tradita, non ſolum intexuit, ſed etiam quædam addidit. Hujus ſeculi initio *Carolus Regius* Jeſuita *Oratorem Chriſtianum* edidit, in cujus libri VIII. fine non contemnenda de Actione & pronunciatione tradidit. Hoſce deinceps alii, tam Lutheranæ quam Reformatæ Eccleſiæ addicti perquam multi, ut Ludov. Crocius in Oratore Eccleſiaſt. Melch. Zeidlerus in Rhetorica Eccleſiaſt. &c. ſequuti ſunt. Quorum omnium induſtriam & labores, Noſter longè, niſi fallor, ſuperavit. Sed cum ejusmodi libros illi tantum evolvere ſoleant qui Eccleſiæ ſua ſtudia peculiariter conſecrarunt; Ars vero pronunciandi tam late pateat atque ipſa Oratoria & perſuaſio, hinc non ſatis fuit has Obſervationes Eccleſiaſtis futuris tantum tradi, neglectis reliquis omnibus qui vel in Senatu, vel in familiari ſermone apte ad perſuadendũ dicere deſiderant. In judiciis quidem illis, quibus omnia libellis & ſcriptis peraguntur, hæc ars nihil facit. Sed quoties aliquid ſermone perſuadendum eſt, hujus artis uſus ſeſe oſtendit luculentiſſimus Si enim ipſam Pronunciationis definitionem vel à Cicerone, vel à Cornificio traditam intuemur, apparet uſum hujus artis non ad publicas tantum Orationes, in ſolenni panegyri forte habendas, ſed ad omne perſuadendi, imo etiam docendi genus pertinere. *Pronunciatio*, inquit Tull. lib. I. de Invent. *eſt ex rerum & verborum dignitate vocis & corporis moderatio.* Et Cornificius l. 1. ad Herenn. *Pronunciatio*, inquit, *eſt vocis, vultus, geſtus moderatio cum venuſtate.* Ubi nullius publicæ Orationis mentione facta, latiſſimus oſtenditur campus, in quo hæc ars egregium uſum habeat & applauſum obtinere ſoleat. Neque hæc præcepta à docentium cathedris & diſcentium auditoriis temere exulare juſſeris, cum experientia ſatis te-

ſtetur,

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00014

ſtetur, niſi vocis ſuavitas, docentis dexteritas, pronunciandi elegantia velificetur demonſtrationi, & ſubinde auditorum animi ad plura atque majora audienda inflammentur, non tam feliciter doceri, quam ubi ea omnia adhibentur, doctrinæ propemodum non minus quam perſuaſionis inſtrumenta. Nec repugnant hiſce ea quæ hujus libri cap. IIX. §. 3. traduntur, cum oportune ibi mentio fiat *admirationis* &c. In omni denique ſermone hujus elegantiæ uſum eſſe manifeſtum eſt, ut vel ſola lectio hujus libelli docere poteſt. Is qui Demoſthenis patrocinium implorabat injuria ab aliquo affectus, quamdiu inepte pronunciabat, tantum aberat ut celeberrimum Oratorem exoraret, ut potius ſibi fucū fieri & mendacia pro vero referri ille ſuſpicaretur, Cicero, cum veritatem hujus perſpexiſſet, ita ſuam diſertiſſime nobis aperuit ſententiam lib. I. de Offic. *Quoniam magna vis Orationis eſt, eaq; duplex: altera contentionis, altera ſermonis: Contentio diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum ſenatus; Sermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur; perſequatur etiam convivia. Contentionis præcepta Rhetorum ſunt multa, nulla ſermonis: quanquam haud ſcio an poßint hæc quoque eſſe. Sed diſcentium ſtudiis inveniuntur magiſtri. Huic autem qui ſtudeant, ſunt nulli: Rhetorum turba referta omnia; quanquam quæ verborum ſententiarumq; præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebunt.* Si igitur eadem præcepta, quæ à Rhetoribus ad Orationes publicè rectè habendas dantur, ad quemvis ſermonem pertinent, manifeſtum eſt latius patere uſum eorum quam vulgo exiſtimatur. Quia non Oratorum Actio propria eſt, ſed præterea Poëtis ſua carmina recitantibus, & ſcenicis Actoribus neceſſaria, videntur qu. illi Rhetores, qui hanc Rhetoricæ partem vel planè omiſerunt (quod recentiſſimorum nonnulli etiam fecerunt,) vel negli-

 gentius

gentius tantum tractarunt, ſua non deſtitui ratione. At vero tam ſcenicus Actor, quam Poëta niſi Rhetoricis fundamentis ſua ſuperſtruxerit, nihil eximium & quod applauſum meratur, præſtabit. Quæ igitur præcepta omnibus, perſuadere & oratione placere volentibus utilia, ea Oratori planè neceſſaria ſunt, ut ſine eis Orator ne tolerabilis quidem ſit. Cum vero ſcenicus Actor non perſuaſionem auditoris, ſed voluptatem ſpectatorum pro fine habeat, Actionem Oratoriam, eamque, quæ in ſermone obtinet, multum à ſcenica differre, manifeſtum eſt. Non itaque male agunt qui hanc elegantiarum partem extra Rhetorica præcepta tradunt, quod jam ante hos ſeptuaginta annos eruditus Jeſuita Ludov. Creſollius Armoricus in *Vacationibus autumnalibus*, præſtitit. Quo prolixiore opere, quicquid ex vetuſtis convaſare potuit, tam ad praxin quam ad ſcientiam antiquitatum faciens, diligenter collegit. Sed noſter Auctor id, quod ad ipſam artem ſufficere poterat, tantum tradere voluit. Licet Auctor noſter jubeat vulgi pronunciationem imitari, præcepta vero hæc pronunciationem familiarem, quæ tamen conſuetudine plerumque conſtat, formare debeant, non circulus, ut Logici ajunt, hîc committitur. Si enim ea, quæ ſub finem libri cap. XVI. §. V. de habitu acquirendo per privatas actiones leguntur, recte capiantur, manifeſta hujus Auctoris eſt doctrina, qui paſſim monet in vulgi tam pronunciatione quam actione errores ſatis craſſos committi. Quin & Quintilianus optimos Actores ſcenicos, quorum tota ars in Actione & imitatione conſiſtit, ſæpe vitioſe egiſſe, indicat, quid non de plebis actione & pronunciatione dicere liceat? Quamvis enim quædam ſint generalia quibus omnis v. g. blandiens, tam rudis, quam eruditus, in omni gente diſtinguitur ab iracundo & contentioſo, tamen nihil

aliud

aliud inde conficitur, quam in his præceptis eſſe aliquid rationi adeo conveniens, ut quodammodo ea naturalia videri poſſint. Alius tamen alium elegantia longè antecedit, & bene educatus atq; edoctus, plerumq; rudem loquentem hac in re ſuperabit. Memores autem ſemper eſſe debemus præcepti p. 119. *Artis hujus caput eſt Decere quod facias.* Denique antequam finiam, hoc videtur non abs re addi poſſe, quod, cum cap. IX. §. 1. & alibi, Clavium in Muſicis & differentium tonorum fit mentio, cavendum ne id ad ἀκρίβειαν artis muſicæ, ſed tantum παχυλῶς & ὡς ἐν τύπῳ intelligatur. Experientia enim videtur teſtari optimis cantoribus pronunciationē Oratoriam difficiliorem eſſe, quàm illis qui nunquam voce canere didicerunt, Imo nonnullos qui ad canendum a natura tam parum inſtructi erant, ut nullo fere labore illam artem diſcere potuerint, optimè tamen pronunciaſſe. Eccleſiaſtis autem, cum ſæpe lamentationibus apta vox decora ſit maximè, (nec enim in ſacra illa Oratoria toties amæna & læta, quam triſtia & ſeria proponuntur) illi qui ad lachrymas ciendas apti ſunt plerumque præ reliquis palmam referunt. Atqui talis lamentationibus apta vox non tam ex muſicorum tybiis & tonorum clavibus, quam imitatione, ſi modo ea haberi poſſit, ad-, diſcitur. Succurrit quidem, fateor, etiam Muſica in omni genere planctus, ſed ea, quam nunc monſtro, via brevior & tutior eſt. Memorabile exemplum erat ante quadraginta annos in M. Paulo Röbero Eccleſiæ Brunſvicenſis a d D. Cathar. Paſtore, qui pronunciatione ad lamentationem aptiſſima excellebat, ut quo tempore hiſtoria Paſſionis Servatoris noſtri coram populo repetitur, majorem ſolito ibi obſervaverim auditorum frequentiam. Sed ſane non ex arte muſica, verum imitatione D. Pauli Roberi Theolog. Witte-



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00017 DFG

bergenſis ipſum omnem ſuam pronunciationem formaſſe ex fide dignis accepi. Claram quidem Cantandi exercitium vocem, non vero aptam & idoneam Sermoni ſtatim præſtabit. Decore autem lamentandi, plorandi & lacrymas movendi ratio non tam ex arte Muſica, quam imitatione & naturæ propria obſervatione diſcetur. *Fiſtulatorem domi relinquetis, ſenſum hujus conſuetudinis vobiscum ad forum* (Eccleſiam) *deferetis.* Cic. III. de Orator.

De periodis & formulis ex optimorum Oratorum veterum vel recentiorum ſcriptis depromendis, rectè pronunciandis & memoriæ mandandis, quæ traduntur cap. XIV. §. VII. non dubito quin hujus artis ſtudioſi ſint probaturi. Facile autem quilibet pro fine laborum quem ſibi ſtatuit, commodisſima excerpet; Exempla interim quædam ſuggeret *Nicaſii Baxii Medulla Eloquentiæ* &c. quæ forſitan auctior propediem prodibit.

Tandem quibus librorum editionibus uſus ſim indicandum eſt. Nempe libros ad Herennium & M. Tull. Ciceronis ſcripta ex editione Hamburgenſi, Frobeniana, Jani Gruteri & Gulielmi notis illuſtrata, atque numeris marginalibus ornata, citavi. Quintiliani autem doctrinæ exſcribendæ adhibui duo exemplaria alterum Daniel. Parei Genevæ 1641. excuſum, quod cum typographicis mendis laboraret, adjunxi id quod prodiit ex officina Jacobi Stoer M D XCI.

*Præfa.*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00018 DFG

# Præfatio.

Quanquam hoc opuſculum brevitas ſatis commendet, vereor tamen ne ſint quibus id alicubi prolixius quam opus fuerit, videri poſſit. Non enim fortaſſe deerunt, qui dicent me copioſius & accuratius quam neceſſe ſit, imprimis de vocis variatione, egiſſe: Alii præceptis traditis nimiam exemplorum copiam additam eſſe exiſtimare poterunt. Quibus ut reſpondeam, nec præceptorum, nec exemplorum hic quandam eſſe abundantiam, quæ cuiquam moleſta eſſe queat, quamvis liber iis creverit, paucis demonſtrandum erit. Et illi quidem, qui meam in Pronunciationis regulis tradendis & diverſa vocis modulatione monſtranda ſedulitatem nimiam fuiſſe credunt, non id reprehendent cum conſideraverint in hoc artis dicendi eſſe ſitam partem potiſſimam & longè difficillimam. Præterea moneo ut cogitent, ſi quibusdam illorum qui hæc mea legent, viſa quædam fuerint ſibi minus neceſſaria, alios tamen & quidem longè plures, futuros quibus illa poterunt neceſſaria eſſe. Plerique eorum qui in publico dicunt ad moleſtiſſimum Monotoniæ vitium ita propendent, & tam ægrè illud tollunt, & vocem ſuam diverſimodè variandi modum adeo ignorant, ut non ſatis armorum ad oppugnandum hunc defectum, ipſis in commodum, aliis moleſtum, ſuppeditare, neque ſatis remediorum, ad depellendum tantum morbum, monſtrare queas. Quod verò eos attinet, qui forte exemplorum, quibus ad probanda & illuſtranda præcepta uſus ſum, multitudinem reprehendent, illis primum hoc repono; Ea, quæ exempli loco ex celeberrimis Oratorum veterum & Hiſtoricorum, propter eloquentiam ſuam laudatiſſimorum libris deſumſi, præceptis a me datis magnam venuſtatem conciliare, quæ deſtituerentur ſi nude expoſita, neque illo veluti habitu fuiſſent veſtita, qui licet antiquitatem redoleat & peregrinus ſit, magnificus tamen nobisque uſitatus eſt. Deinde & hoc illis ſecundo loco regero; Exempla illa, præterquam quod præcepta, per ſe non ſemper jucunda, ornant, magnam claritatis lucem, ut facilius intelligantur, afferre, magnoq; ad legitimum præceptorum uſum adminiculo eſſe, ut applicatio eorum facilior evadat. Quin enim exemplo, quod regulam excipit, illuſtretur mens lectoris, ut illam & melius intelligat & facilius retineat, nullum plane eſt dubium. Hæ fuere rationes eo modo, quo factum a me vides, hæc conſignandi, in quibus me confirmarunt amici, quibus totum hoc B. Lector debes opuſculum, abs quibus ſi fuiſſet nunquam ejus ſcribendi, multo minus edendi, ullam ſuſcepiſſem cogitationem. Sicut de excellenti ipſorum ingenio, de egregio

egregio

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00019 DFG

*gregio eorum judicio, & ſincero erga me amore certus ſum, ita non potus non ipſis quod diſpoſitionem & Oeconomiam hujus ſcripti attinet, fidem habere, cum ſolo ipſis placendi ſtudio totum hoc ſuſceperim. Propterea quicquid hic ſit, quod reprehendi poſſe videatur, ejus defenſionem illi ut receperunt, non defugient, ideoque quicquid acciderit, parum me movebit.*

---

## Index Capitum.

### *Pars prior*

Cap. I. Cauſa hujus libri ſcribendi. p. 1.
Cap. II. Actionis cura & ſtudium tam ſacri quam civilis oratoris perſona dignum. p. 6.
Cap. III. Admonitio & Conſilium de Actione datum juvenibus in publico olim dicturis. p. 19.
Cap. IV. de Pronunciatione, & primo de cura clare dicendi. 22.
Cap. V. de cura ſuavitatis, ut qui nos audiunt, voluptate quadam afficiantur. p. 30.
Cap. VI. de Vocis variatione, præcepta generalia p. 36.
Cap. VII. Specialia præcepta, & primo de vocis variatione ratione rei, de qua ſermo eſt. p. 41.
Cap. VIII. de variatione vocis, ratione affectuum. p. 43.
Cap. IX. de Vocis pro diverſa Orationis parte, variatione. p. 52.
Cap. X de Vocis, ratione figurarum, variatione. p. 55.
Cap. XI. de Periodorum, & vocum ſingularum pronunciatione. p. 64.

### *Pars poſterior.*

Cap. XII. De Geſtu in genere. p. 72.
Cap. XIII. Regulæ ſpeciales de Geſtu. p. 72.
Cap. XIV. Admonitio de uſu omnium illorum, quæ tradita ſunt, præceptorum. p. 88.

De

De

# ACTIONE ORATORIA,

ſive de

## Pronuntiatione & geſtu.

### CAP. I.

### *Cauſa ſcribendi hunc libellum.*

*§. 1. In quo primaria Orationis virtus conſiſtat.*
*2. Actio non parum facit ad perſuaſionem.*
*3. Magni æſtimata a Veteribus.*
*4. Vera Oratio requirit Actionem.*
*5. Applauſus pendet ab actione.*
*6. 7. 8. Probatur exemplis.*
*9. Conſilium prudentia de non edendis Orationibus.*
*10. 11. Exemplis illuſtratum.*
*12. Actioni ſtudendum quia eſt eloquentia corporis.*
*13. Hactenus nullis præceptis ſatis tradita.*

§. 1.

IN confeſſo quidem apud omnes eſt, orationi potiſſimam autoritatem, & maximum ad perſvadendum pondus ex eo naſci, quòd ea, quæ dicuntur, ingenioſe excogitata, & judicio examinata ſunt; quòd ſingula, juſto ordine propoſita, clarius intelligantur & facilius memoria retineantur; quòd delectus & concinna verborum conſtructio, quibus mentem noſtram explicamus, non parum venuſtatis, ſplendoris & efficaciæ orationi tribuant.

§. 2. Ideoque Rhetores Inventionem, Diſpoſitionem



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00021 DFG

nem & Elocutionem artis Oratoriæ partes tres priores conſtituerunt. Quia tamen appetitus ſenſitivus & affectûs ad intellectum & ad voluntatem noſtram movendam mirificam habent potentiam, cum illi affectus, per ea, quæ præſentia ſunt & ipſos ſenſus tangunt, moveantur; Actioni, quæ in pronunciatione & geſtu conſiſtit, quartum locum dari debere exiſtimarunt.

§. 3. Actionem priſci oratores tanti fecerunt ut Demoſthenes eam Eloquentiæ primam, ſecundam & tertiam partem eſſe, dicere non dubitaverit, & Cicero, in eandem ſententiam, *eam ſolam in Oratione dominari*, dixerit.

Lib. III. de Oratore c. 56. Actio in dicendo una dominatur: Sine hac ſummus Orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris, hac inſtructus, ſummos ſæpe ſuperare.

§. 4. Et ſane, ſi de Oratione, tam Civili & Forenſi, quam ſacra, bene *conſcribenda* tantum agatur; illæ tres partes ad perfectionem ipſius ſufficere poſſent; aſt vero, cum Oratio in publico eſt *pronuntianda*, & quidem ita, ut auditorum animos tangat & percellat, velut elumbis & mortua nihil efficiet, niſi hæc quarta Oratoriæ pars ei vitam & venuſtatem dederit.

§. 5. Et profecto ſæpe uſu venit ut Orator in reliquis partibus eloquentiæ magis eſſentialibus excellentiſſimus, ſed mala pronuntiatione & ineptis geſtibus uſus, non ſine tædio & contemtu fuerit auditus: contra vero alius vix mediocris, ſed elegantiſſimam actionem adhibens, cum voluptate auditorum applauſum tulerit.

§. 6. De Philiſco ſophiſta & Oratore, uno illorum quorum vitas deſcripſit, Philoſtratus refert, eum nec Græci ſermonis elegantia, nec compoſitionis decore, nec vocis ſvavitate deſtitutum fuiſſe; attamen quod invenuſte pronunciaſſet & inconcinno geſtu uſus eſſet, Imperatorem Antoninum, ad favorem erga Rhetores alioquin naturâ propenſum, ſilentio ipſi impoſito, immunitatem, qua alios donaverat, impenſe deſideranti, denegaſſe.

§. 7. Ve-

§. 7. Verum de Trachallo Quintilianus memorat, eum quidem non ex optimorum ſui temporis oratorum numero fuiſſe, attamen cum ad cauſas in foro agendas prodiiſſet, cæteros antecelluiſſe corporis proceritate, oculorum ardore, vultus majeſtate, geſtus venuſtate & vocis ſvavitate, qua tragœdos non tantum æquabat, ſed omnes in univerſum fabularum actores, qui unquam in theatrum conſcenderant, ſuperabat.

*Lib. X. Inſt. Or. c. 1. Et vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas, & pronunciatio vel ſcenis ſuffectura, & decor: omnia denique ei, quæ ſunt extra, ſuperfuerunt.*

§. 8. Memini me ex ſummis totius Galliæ oratoribus quendam perorantem audiviſſe, cujus Oratio, meo quidem judicio, excellens erat, tam propter argumentorum graviſſima pondera, quam ob Elocutionis elegantiam & vigorem, quæque procul dubio ab omnibus talis, qualis erat, judicata fuiſſet, ſi ab alio meliore lectore fuiſſet pronunciata; Aſt quia ab aliquo, vocis organa valde impedita habente, & nullos, aut ingratos geſtus addente, pronunciabatur, non ſine tædio omnium qui aderant, audita eſt. Vidi contra alios tam in Eccleſia, quam in foro, qui non magnos in eloquentiæ ſtudio fecerant profectus, propter hæc tamen externa celebritatem magnam adeptos. Tanta vis ineſt illis in utramque partem, ad oratoris laudem & contemtum, prout eis inſtructus aut deſtitutus eſt.

§. 9. Quapropter, ut hoc in tranſitu dicam, illi, qui reliquis eloquentiæ partibus excellunt, non male agunt ſi ſuas orationes in publicum edunt; quamvis enim pronunciationis gratia & geſtûs decor deſit, lectæ tamen per ſe ipſas placebunt. Verum illi, qui præter actionem ſuis orationibus parum momenti addiderunt, non temere eas publicare debent, ne id, quod cum admiratione auditum eſt, ſi lectum fuerit, vilipendatur. Hi, ſi ſapiunt Periclis exemplum potius, quam Hortenſii, ſequentur. Quanquam enim de Pericle poetæ ſint fabulati perſuaſionis Deam in ejus labiis

*Svadam in Periclis labris ſeſ-*

ſitaviſſe ſcribit Eupolis, Cic. Bruto c. 15.

labiis ſediſſe, in concionibus eum tonare & fulgurare ſolitum, totamque Græciam tremefacere potuiſſe, nunquam tamen earum orationum ullam, quas cum tanta admiratione habuit plurimas, edidit: quia primarium earum robur, ut quidam ajebat, in Actione conſiſtebat; nec hodie quicquam illius reſtat, teſte Plutarcho, præter quædam Edicta. Nam orationes, quæ ei a Thucydide in hiſtoria tribuuntur, non ſunt illius oratoris, ſed hiſtorici.

§. 10. At vero Hortenſius cauſis in foro agendis non exiguam gloriam conſequutus, id quod ab ipſius actione tantum ortum erat, argumentorum robori & orationis decori tribuens, orationes ſuas foras dedit; ſed non illam ſcriptis, quam recitatis meruerat, tueri potuit gloriam. Nam, ut Quintilianus ait, *ſcripta ejus intra famam fuerunt*, ut appareuerit, *placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non invenerunt.*

Lib. XI. c. 5.

§. 11. Venit in mentem alicujus qui, cum in publico ob naturalia eximia dona & ſuavitatem pronunciationis cum ſummo omnium applauſu peroraſſet, ſuaſu aliorum paulo poſt hanc ipſam orationem edidit: ſed tantum in lectorum animis contemtum excitavit, quantam antea apud eosdem auditores ſuos gloriam pepererat. Hi enim illud, quod nuper audiverant, jam legentes, nec vocis ſuavitatem iterum auribus percipientes, nec decorum illum geſtum, cujus admirabili convenientia veluti faſcinati nuper fuerant, oculis ſimul uſurpantes, ſed tantum de oratione judicium facientes, nihil admirabile deprehendebant: quin eandem, quam audiverant, orationem ſeſe legere, credere vix poterant.

§. 12. Cum itaque hæc Oratoriæ pars quam *Corporis eloquentiam* appellare ſolet Tullius, tantum habeat momenti atque virtutis, optandum eſſet priſcos, qui tres priores artis

Lib. 3. de Orator. c. 59. Eſt actio quaſi ſer-

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00024 DFG

artis ejus partes tam prolixè & accuratè tradiderunt, hanc pari ſtudio ſcriptam nobis reliquiſſe. Verùm nec Ariſtoteles ulla ejus præcepta conſignavit, quippe qui merum hoc naturæ donum, quod nullâ artis ratione doceri poſſet, exiſtimavit: Nec Cicero in ſuis de Oratore libris ſingulares regulas præſcribere voluit, neceſſitatem rei, & quanti momenti ſit, diverſis locis indicâſſe contentus. Cornificius quidem de pronunciatione paulò diligentiùs egit; tamen, ſi verum fateri fas eſt, quicquid ejus hodie extat, imperfectum valde, & noſtris temporibus non ſatis accommodatum eſt. Solus Quintilianus ex veteribus hoc prolixè & accurate perſequutus eſt. Sed ille cauſarum patronum duntaxat & Civilem oratorem inſtituit, cum hæc Oratoriæ pars Eccleſiaſtæ etiam ſit neceſſaria. Præterea inter multa egregia, quæ hac de re tradidit, quæque ut olim, ita hodienum ſuum habent uſum, non pauca occurrunt, quæ ipſius quidem ſeculo decora fuerunt, noſtris autem moribus minimè ſunt convenientia, veluti, ferire frontem, caput, pectus, femur; pede terram percutere & alia ſimilia.

mo corporis. Et in Orator. ad Brutum c. 17. Quintil. c. h.

§. 13. Hac de cauſa, cum multi viri præclari obſervaſſent, plerosque eorum qui in publico dicunt, tam in foro, quam in Eccleſia, graves committere errores, optarunt aliquem hac de re digne ſcribere; cumque nemo reperiretur qui hunc laborem ſuſciperet, multi amicorum meorum me ſummopere rogarunt, hodieque monent ut ei rei manum admoveam, quibus tamen non unam ob cauſam id ſemper denegavi. Sed quia inter illos duo ſunt viri excellentes, quorum judicio longe plus, quam meo tribuo, quique hoc inſtantius quam reliqui, flagitarunt, tandem, ut illis quodammodo ſatisfacerem, hoc qualecunque, exiguum ſane, conſcribere atque cum ipſis communicare ſtatui, ut videam an, ſi illud legerint & examinaverint, exiſtimaturi ſint,

illos, quibus meliora hactenus ſuggeſta non ſunt, utilitatem aliquam inde conſequuturos eſſe.

## CAP. II.

### *Actionis cura & ſtudium tam ſacri, quàm civilis Oratoris perſona dignum eſt.*

*§.1.2 3.4.5. An deceat hac ars Oratores Chriſtianos,*
*6. Imprimis Eccleſiaſtiacos.*
*7. & 8. Quando huic arti vacandum.*
*9. Eccleſiaſt a nullus hinc oritur conſcientia ſcrupulus.*
*16. Moleſtia auditoribus ob quam verbum Dei non audiunt, eximitur.*
*11. Non omnis ſenſuum delectatio a ſacris removenda. 12. exemplo Muſica.*
*13. Ipſi Apoſtoli hanc artem non neglexerunt.*
*14. Ut Jacobus, Johannes, Paulus.*
*15. Quanquam eam, non uti nos, didicerint.*
*16. Ratio diverſitatis inter nos & θεατρικούς.*
*17. An Comœdis Actio relinquenda.*
*18. Nobis labore id quærendum quod ſanctis ex gratia conceſſum.*
*19. Etiam cauſarum patronis de hac arte laborandum.*
*20. 21. 22. Ratio ejus 23. Nocet cauſa ſi omittatur. ib. 24. exemplo & ratione probatur.*

§. I.

IN ipſo hujus opuſculi limine animadverto multos fore quibus meus labor non eſt placiturus, qui dicent, vocis rectè formandæ & geſtuum curam neque illos, qui ex ſuggeſtu divina dogmata tradunt, neque eos, qui in foro pro juſtitia dimicant, ſatis decere.

§. II. Et alii quidem ex mera animi vanitate ita judicabunt, ut Cotta ille, quem Cicero dicit, verborum atque ipſius etiam ſoni ruſticitate imitationem antiquitatis affectaſſe.

De Orator. l. III. c. XI. In Bruto c. 36. Quintil. c. 1.

§.III. A-

§. III. Alii vero ex ignavia ita ſtatuent, qui laudabilem habitum, quo ipſi deſtituuntur, quique ſine moleſtia comparari nequit, acquirendi laborem defugientes illud agunt ut reliquos omnes ab eo deducant. Tales erant qui Johannis Chryſoſtomi tempore univerſum eloquentiæ ſtudium à ſacro ſuggeſtu remotum ibant, quos ipſe in libris ſuis de ſacerdotio refutavit.

§. IV. Alii denique ex ſuperſtitione & triſtitia hoc improbabunt, quia omne quod ſenſibus ſuave eſt, licet cum animæ utilitate conjunctum ſit, ipſis diſplicet & ſuſpectum eſt.

§. V. Quod ſi cum his ſolis mihi nunc res eſſet, equidem de ipſorum moroſitate & melancholia non multum laborarem. Sed quia præterea alii ſunt, iique viri graves, quanquam nimis forte auſteri, qui conſcientiæ labem animo ſuo ex hac re metuunt, illiusque metus rationes certas ſibi eſſe putant; eos audire & ipſis reſpondere æquum eſt.

§. IV. Primo itaque quantum ad Eccleſiaſtas; nefas eſſe, ajunt, eos, quos Deus ſancto ſuo miniſterio dignatus eſt, quod exercentes ſoli Dei gloriæ, divinorum myſteriorum majeſtati, præceptorum ſanctitati, Eccleſiæ ædificationi, & hominum æternæ ſaluti intenti eſſe debent; de voce formanda & corporis motu componendo ſollicitos eſſe; Veritatem perſuadere, animasque ad fidem, ad pietatem, ad omnes Chriſtianas virtutes, non ſolum eloquentiâ ſua, ſed etiam pronunciationis ſuavitate, & geſtuum vigore diſponere velle, hoc nihil aliud eſſe, quàm religionem, quæ tota eſt ſpiritualis, a rebus ſenſibilibus & externis dependentem facere; omne hoc artificium Comœdis & Tragœdis, ad populi voluptatem & gloriam ſibi parandam in theatris agentibus, relinquendum eſſe. Addunt,

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00027 DFG

dunt, hanc artem ſanctos Apoſtolos nuñquam didiciſſe, neque illâ tot animas Chriſto lucrifeciſſe.

§. VII. Sed Reſpondeo; Primò, me non id agere, ut illi, qui multorum annorum publicè dicendi & perorandi uſu exercitati jam bonum vel malum acquiſiverunt habitum, a me doceantur; ſi quidem tales, ſi bene dixerint, his præceptis non indigent; ſin male, nimis difficile erit ipſis ea ætate habitum confirmatum mutare. Quanquam forte etiam inter hos reperiri poſſint, qui hunc libellum legendo, vitia ſua obſervata, auditoribus tam moleſta, quam ipſis Oratoribus noxia, ſine magno labore ſint emendaturi.

§. VIII. Ego verò tantùm adoleſcentibus & juvenibus qui ſua ſtudia Eccleſiæ aut foro dedicarunt, commodare conſtitui, qui nullodum malo habitu dicendi imbuti ejus ſunt ætatis, qua melioribus aſſveſcere poſſunt; & quod D. Auguſtinus lib. IV. de Doctr. Chriſtiana de tota Oratoria ſacra, ego de Actionis præceptis ſincere proteſtor; *Non, etiamſi poſſint hæc a tardioribus tandem aliquando perdiſci, nos ea tanti pendimus, ut eis diſcendis jam maturas vel etiam graves hominum ætates velimus impendi. Satis eſt ut adoleſcentulorum iſta ſit cura, nec ipſorum omnium, quos utilitati Eccleſiaſticæ cupimus erudiri, ſed eorum quos nondum magis urgens, & huic rei ſine dubio præponenda neceſſitas occupavit.*

§. IX. Cæterum illis, qui religionem allegant, quam obſtare putant, non refragarer, ſi noſtri Oratores Eccleſiaſtici ſtudiorum ſuorum ſacrorum palmarium ponorent in actionis cura: ſi illud temporis & operæ, quod maximi momenti meditationibus, gloriam Dei & æternam hominum ſalutem ſpectantibus, (quæ tanta ſunt ut totum hominem requirant,) dare debent, hiſce externis ad ſermonis

venu-

venuſtatem tantùm tendentibus, impenderent, ſi veritatis perſuaſionem, & animarum converſionem hiſce tribuentes, vocem & geſtus ſuos formando, nihil niſi ut populo placeant, ejusque applauſum quærerent. Hoc certè modo Deum graviter offenderent, miniſterii ſui ſanctitatem indignis modis profanarent, quod ſoli Deo, ejusque Spiritûs virtuti tribuendum, ſibi arrogarent, & ex Eccleſiæ ſuggeſtu vanitatis ſuæ theatrum facerent.

§. X. Sed, ne quid ejusmodi illos, qui ad ſanctum illud munus adſpirant, ego docere cogitem, Deus avertat! Eò verò unicè meus hic labor tendit, ut monſtrem, quâ ratione ita ſermonem ſuum formare poſſint, ne auditores pronunciatione ingratâ, aut geſtu indecoro ab auditu verbi divini abigant; ſed non ipsâ tantùm oratione, verùm etiam decente actione & ſuavitate pronunciandi, quantum quidem fieri poteſt, eccleſiam ædificent. In utroque eos ita verſari volo, ne quid dignitati muneris, quod gerunt; majeſtati rerum, quas proponunt; ſanctitati loci, in quo dicunt, inconveniens videatur; nihil quod pietatem, animum Deo devotum, ſanctum ardorem non ſpiret; nihil quod movendis ſanctis affectibus, pœnitentiæ, charitati Chriſtianæ, & bonorum operum ſtudio perſuadendo non ſit aptum. Quid quæſo hîc eſt, quod culpari poſſit?

§. XI. Quicunque id agit, inquiunt, ut auditoribus ſuavi pronunciatione & geſtu placeat, is ſenſus externos tantùm delectandi ſtudio occupatus eſt, cùm de ipſis animis rectè informandis & conſcientiis inſtruendis ſeriò debeat eſſe ſollicitus. Eſt quidem hîc ſenſuum delectatio, ſed cùm hæc voluptas auditoribus excitata ad Dei gloriam, animarum converſionem ſpectet, &, ut ſana doctrina libentiùs audiatur & firmiùs memoriâ retineatur, efficiat,



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00029 DFG

at, procul dubio hoc ſtudium innoxium, ſanctiſſimum & utiliſſimum eſt.

§. XII. Et ſi hæc ideò, quia voluptate quadam ſenſus afficiunt, rejicienda ſunt; etiam Muſici concentus à cultu divino removendi erunt. At verò, ſicut in Veteri Fœdere *ad cantandos dulces Iſraëlis Pſalmos* Muſicæ uſus laudabilis fuit, cùm admirabiles Sionis melodias hoſtes ejus ex captivorum ore percipere deſiderabant; ita neque ex Eccleſia opus eſt ut Concentus eliminentur, cùm Dei laudes ibi hâc quoque ratione reſonent.

§. XIII. Sancti, inquiunt, Apoſtoli hæc dicendi præcepta non obſervârunt, neque eo modo animas Chriſto lucrifecerunt. Sed quis quæſo illis indicavit, quâ pronunciandi ratione illi Sancti Viri uſi ſint? quibus geſtibus Verbum Dei annunciaverint?

§. XIV. Quia Servator noſter Jacobum & Johannem appellavit *Boanerges*, hoc eſt, *filios tonitru*; facilè inde colligas, eos, cùm Evangelium annunciârunt; cùm ad pietatem hortati ſunt; quando errores refutârunt ſuis declamationibus; ſuperſtitiones, idololatrias, vitia impugnârunt, id non feciſſe humili & imbecilli ſono, ſed cum tali tantaque vehementia ac contentione vocis & corporis, quantam illa materia flagitabat. Cùm Apoſtolus Paulus exhortatorias ſuas habuit orationes, quas magnus con-
Cap. XX. 37. ſequutus eſt fletus, ut in Actis Apoſtolorum legimus, illum pronunciatione & voce languente, atque frigido geſtu tot lacrymas elicuiſſe non eſt exiſtimandum.

§. XV. Equidem fateor, ipſos fortè ad nulla artis hujus præcepta reſpexiſſe, quemadmodum nec reliquas Rhetoricæ partes, aut Grammaticam, aut Logicam; an propterea illarum artium alioquin utiliſſimarum uſum interdicendum putas? In orationibus ſuis certo quidem ordine

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00030 DFG

dine, aut methodo à Præceptoribus acceptâ non ſunt uſi, an ideò improbanda eſt ea, quæ hodie obſervatur, partium orationis diſpoſitio? Plerique Apoſtoli in Academiis ſuam ſcientiam non hauſerant vel excoluerant; à Doctoribus humanas ſcientias docentibus non erant informati: ideone hodiernum Academiarum & publicorum Doctorum uſum damnabis, cùm illi hoc non indiguerint? Illi quidem nullâ præmeditatione, aut ſtudio nullo prævio ſcribebant & loquebantur; ſed, ut Spiritus S. ipſis ſuggerebat, ſingula proferebant: an verò vituperandi propterea ſunt, qui ſtudium & induſtriam ſuis nunc addunt orationibus? Illis inſtrumentis, quia non indigebant Apoſtoli, non ſunt uſi. Artes, Methodus, Academiæ, Doctores, Studia denique ipſis ſi deerant; Spiritûs Sancti abundans gratia, quam acceperant eâ cœlitùs baptizati, & immediatè ipſis conceſſa divina inſpiratio, quotiescunque prædicandum erat Evangelium, Artium, Methodi, Academiæ, Doctoris & Studiorum ſimul omnium defectum ſupplevit.

§. XVI. Accedebat donum miraculorum, cujus exercitio veritatem prædicationis ſuæ obſignabant, & potentiſſimè perſuadebant. Sed non pari modo nobiscum agit Deus, qui nec infuſis illis virtutum habitibus fruimur, nec miracula patrandi donis inſtructi ſumus. Ideoque ab illorum extraordinariorum Eccleſiaſtarum exemplo noſtræ doctrinæ ordinaria norma non eſt petenda.

§. XVII. Illi, quos hîc de Actionis arte ſcrupulus urget, addunt præterea, hoc artificium fabularum actoribus, Comœdis & Tragœdis, populum in theatris tantùm delectantibus, relinquendum eſſe. Ego verò dico, illis ſolis hoc artificium non eſſe concedendum; quia eo abutuntur. Quin ſi illi publicarum delectationum miniſtri hâc

 pronun-

pronunciationis & geſtûs venuſtate profanè abutuntur, vanis theatralibus recreationibus ad movendos leves animos, & fictis ſuis atque imaginariis argumentis eam adhibendo; Miniſtri Jeſu Chriſti eam in ſacrum derivabunt uſum, ad Eccleſiæ ædificationem, ad movendos fidelium animos per doctrinam veritatis & ſalutis auditoribus propoſitam: nec de hujus artis uſu magis nunc dubitandum eſt, quàm olim fuit dubitatum, cùm Ægypti aurum S. tabernaculo exornando adhibebatur. Si qui Dei donis abutuntur, abuſus ipſe damnandus eſt, legitimus verò eorum uſus non eſt abjiciendus. Hoc verò eſt donum Dei, & quidem non contemnendum.

§. XVIII. Nam ſi quis vel naturâ, vel per miraculum accepto habitu, pronunciatione ſuaviſſimâ & geſtu gratiſſimo in dicendo uteretur, quærerem ex his, qui ſuperſtitioſè hæc diſputant, annon Dei ſingularem ibi favorem & gratiam agnoſcerent, & annon propterea libentiùs eum audirent? Sine dubio fatebuntur utrumque. Quare igitur improbant, naturâ aut miraculo ea dona non adeptum omni ſtudio illis acquirendis incumbere, quæ labore & exercitio comparari poſſunt? Et tantum de Sacris Oratoribus.

§. XIX. Cauſarum verò patronos quod attinet, hæc de illis dubia moveri ſolent. Deus, inquiunt, non vocavit eos ad id, quod gerunt, munus juſtitiæ adminiſtrandæ, ut judices ſuavi vocis harmoniâ incantent, aut eorum oculos geſtuum venuſtate perſtringant, in quo meræ ſunt imposturæ: ſed ut per facti in judicium deducti veram, nativamque repræſentationem, de juſtitia cauſæ, quæ agitur, ſolidis clariſque rationibus, legibus in eo judicio uſitatis, & ſimilium cauſarum præjudiciis adductis, eos informent.

§. XX.

§. XX. Et ſanè ſi juſtitia eo, quo par eſt, modo, Ariſtotele monente, adminiſtraretur, & cauſæ non niſi ex meritis ſuis deciderentur, hæc externa, quæ addi ſolent, non eſſent neceſſaria. Si coram ejusmodi judicibus, quales Athenis erant Areopagi priſci aſſeſſores, (hoc eſt, probis & ad cauſas cognoſcendas ſatis aptis; qui totam ab Advocatis propoſitam cauſam perattentis auribus atque animis perciperent; qui nihil niſi juſtitiam ob oculos haberent; qui nihil affectibus darent) cauſæ eſſent agendæ, non opus eſſet de pronunciatione & geſtu; perinde ut nec de exordio, peroratione, affectibus movendis, aut de cæteris Rhetoricis ornamentis nos eſſe ſollicitos. Sufficeret veritatem rei judicandæ illis propoſuiſſe, juſtitiam cauſæ, adductis rationibus, legibus & præjudiciis demonſtrâſſe, adverſariorum argumenta clarè ſolideque refutâſſe.

§. XXI. Sed cùm ſæpiùs contingat, rem nobis eſſe cum judicibus, quibus omnes illæ deſunt qualitates; qui, licet fortè viri boni ſint, tamen eâ rerum judicialium, quæ ipſos decet, cognitione deſtituuntur, quique adverſæ partis precibus & ſuggeſtionibus animum ſic præoccupatum habent, ut ad dijudicandam cauſam veritati & juſtitiæ contrariam inclinationem afferant, opus ſanè eſt ad eos informandos & ex errore eripiendos ſingulari quâdam attentionem impetrandi cura.

§. XXII. Atqui huic rei mirum in modum pronunciatio & geſtus orationi conveniens inſervit. Cauſa enim decernenda ſi illis tam venuſtè, ſplendidè & ſolidè ob oculos poſita eſt, animi eorum, ipſis etiam invitis, ita moventur, ut à quorum parte juſtitiam eſſe tam clarè vident, eos condemnare erubeſcant.

§. XXIII. Contrà absque eo ſi agitur, facilè evenire poteſt, ut quis causâ etiam optimâ cadat, qualis fuit il-

C. LIII. la Rutilii, de qua Cicero in primo de Oratore Dialogo dicit, quòd partim ab ipſo Rutilio, partim à Cotta, Rutilii ſororis filio, partim denique à Mucio ſimpliciſſimè, nullo apparatu, *purè & dilucidè*, ſed ſine commotione dicta ſit, ut ſi in illa *commentitia Platonis civivitate* agenda fuiſſet. *Nemo*, inquit, *ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo eſt queſtus, nemo Rempubl. imploravit, nemo ſupplicavit. Quid multa? pedem nemo in illo judicio ſupploſit.* Tam languidè defenſus Rutilius damnatus eſt, cùm tamen, ſi Craſſus eo modo, quo aliàs, illam cauſam egiſſet, certiſſimam reportâſſet victoriam. Quanquam Rutilius in eo animi ſui magnitudinem & innocentiæ fiduciam teſtatus ſit, nullam tamen retuliſſe laudem arbitror. Nam cùm Stoicorum doctrinam nimis ſequutus eſſet, nec illa ſubſidia, quibus uti legitimè potuiſſet, adhibuiſſet, nec cauſam ſuam eo ſtudio & fervore, quo digna erat, agi curâſſet, in exilium miſſus eſt, atque Rempublicam, dum abſens fuit, innocentiæ & honeſtatis exemplo, conſiliis atque auxilio ſuo privavit. Sed certo conſilio & propoſito ita egit, qui ad eos, à quibus amabatur & magnifiebat, migrare, quàm in magnis Reipublicæ turbis ad Sullæ arbitrium diutiùs vivere maluit.

§. XXIV. Cæterùm, quemadmodum venuſta actio & elegans pronunciatio apud judices majorem attentionem faciunt, ita efficiunt etiam, ut Orator vera & ſincera dicere exiſtimetur. Hæc enim ſunt, quæ, dicente Cornificio, *perficiunt, ut res ex animo agi videatur*; cùm contrà illi, quibus utrumque deeſt, id, quod aliis perſuaſum eunt, ipſimet credere non videantur, qui ſeſe planè non commotos oſtendunt. Ideò Cicero quendam ſuæ ætatis Oratorem, qui frigidiſſimè oraverat, ita alloquitur: *Tu iſtuc, niſi fingeres, ſic ageres? Ubi dolor? ubi ardor animi?* nulla

[Margin notes: Ad Herenn. lib. III. cap. 15. — In Bruto c. 80.]

*- - - - nulla perturbatio animi, nulla corporis. Tantum abfuit, ut inſtammares noſtros animos: ſomnum iſto loco vix tenebamus.* Quintil. l. XI. c. 3.

§. XXV. Quando itaque Advocatus magno ſtudio ſe præparat ad aptè & grato modulo tonoque coram judicibus dicendum, non ideò fit, ut hisce veluti illecebris permulſi judices decipiantur, aut pronunciatione & geſtu corrumpantur; ſed potiùs ut id, quod eorum flagitat officium, diligentiùs agant, nempe ut remoto torpore & ſomnolentiâ, animo non evagentur, ſeque alienis cogitationibus, dum cauſam dicit patronus, non oblectent; ut, quid veritatis & juſtitiæ negotio, de quo agitur, inſit, perpendant, ut, ad ſecundum leges & æquitatem judicandum, diſponantur.

§. XXVI. Denique ſi alia nulla eſſet cauſa, ut omnia eo ſaltem modo, quem natura & ratio deſiderat, dicantur, in quo certè nihil eſt, quod laudem non mereatur.

§. XXVII. Addo etiam hanc, quæ conſideratione digniſſima mihi videtur, rationem: quòd ſi viri boni in cauſis honeſtis hisce perſuadendi ſubſidiis renunciarent; alii verò malis ſuis cauſis defendendis ea adhiberent inſtrumenta, hi eâ ratione illos ſuperarent: quum tamen, bonos cum malis ſaltem æqualibus armis pugnare, æquiſſimum ſit. Idem de ſacris noſtris Oratoribus dico, atque id, quod S Auguſtinus in genere de univerſa Eloquentia ſcripſit, huic arti applico. *Quum per artem Rhetoricam & vera ſuadeantur & falſa, quis audeat dicere adverſus mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem: ut videlicet illi, qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere, iſti autem non noverint? Illi falſa breviter, apertè, veroſimiliter: & iſti vera ſic narrent, ut* Lib. IV. de Doctrin. Chriſt.

*audire*

*audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremò non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem; iſti nec vera defendere, nec falſa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes impellentesq́; dicendo, terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter; iſti pro veritate lenti frigidiq́; dormitent? Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Cùm ergò ſit in medio poſita facultas eloquii, quæ ad perſuadenda ſeu prava, ſeu recta valeat plurimùm, cur non bonorum ſtudio comparatur, ut militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas perverſas vanasq́; cauſas in uſus iniquitatis & erroris uſurpant?*

§. XXVIII. Sunt etiam alii hancartem tanquam ſuperfluam contemnentes; quia Natura, inquiunt, ſatis docet unumquemque, qui in publico dicit, quo quælibet pronunciare debeat modo, & quâ ratione geſtus ſuos componere debeat. Perinde autem eſt, ac ſi dicerent: cùm Deus terræ facultatem panem ad nutritionem hominis proferendi, & vinum ad animum ejus lætificandum dederit, illa producet ea quidem per ſemetipſam, & agricultura omnis utilitatis expers eſt; cùm homo habeat intellectum naturâ ſuâ rationalem, nihil refert, eum ratiocinandi artem addiſcere; cumq́ue ejus creator ad ſocietatem colendam illum fecerit, atque donis ad illum finem neceſſariis inſtruxerit, non opus eſt, ut Morali Philoſophiæ, Oeconomicæ, aut Politicæ operam det; cùm Deus uſum ſermonis ſit largitus, non indigere eum purè eleganterq́ue loquendi arte, aut perſuadendi facultate. Et quidem non temerè ita dicerent, ſi omnes agri æquali fertilitate deſiderio poſſeſſorum reſponderent; ſi illi, qui non excoluntur, tam delicatos & tam copioſos proferrent fructus, quàm qui diligentiſſimè coluntur; ſi natura omnium hominum perfecta & omnis erroris expers foret; ſi omnes

æquè benè ac perfectè ratiocinarentur, etiam abſque conſequentias legitimè nectendi regulis; ſi in omni ſocietatum genere omnes pariter benè ſeſe gererent; ſi omnes pariter & eodem modo, etiam abſque artis dicendi adminiculo purè & ad perſuadendum aptè dicerent. Verùm id minimè ita ſe habere videmus. Agri enim non omnes ſunt fertiles, cùm multorum manifeſta ſit ſterilitas; alii verò fructus quidem aliquos ferant, ſed amaros, inſipidos aut ſylveſtres; &, qui meliores ſunt, culturam diligentem ad regulas agriculturæ & laborioſam flagitant. Homines omnes quidem, quatenus intellectu & ratione à natura dotati ſunt, quodammodo ratiocinantur, ſed non omnes ut decet, aut oportet; ideoque neceſſum eſt, ut ars naturæ ſuccurrat, ut diſcant rectè ratiocinari illi, qui per ſemetipſos id agere non valent, & majorem perfectionem tribuat illis, qui aliquantùm, ſed imperfectè ratiocinari nôrunt. Omnes quidem vivunt in ſocietate generali, quippe animalia ſociabilia; verum ſæpe peſſimè ſatisfaciunt officio ſuo ratone ſpecialis ſocietatis, in quam à Deo ſunt miſſi. Quapropter Moralis Philoſophiæ præcepta ipſis ſunt utiliſſima & maximè neceſſaria. Omnes quidem ſermonis uſu gaudent; ſed maxima eorum pars, ad perſuadendum uti ſermone, ut par eſt, neſcit: ſed ut purè, venuſtè & aptè ad perſuadendum dicere poſſint, regulis Grammaticæ & præceptis Rhetoricæ informandi ſunt.

§. XXIX. Atque circa Actionem res eodem modo ſe habet. Quilibet quidem ſuâ actione juxta naturæ donum, aut ad aliorum exemplum formatâ non deſtituitur; ſed alii pronunciatione & geſtu auditorum oculis atque auribus longè magis placent, aptiusque movent animos, quàm alii. Hinc ſanè factum eſt, ut priſci eos, qui hâc parte maximè excellebant, obſervaverint; cumque cognoviſſent,



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00037 DFG

propterea alios aliis libentiùs auditos eſſe, & longè feliciùs perſuaſiſſe, magna cum cura quid in ſingulis eſſet pulcrum ac venuſtum annotârunt; & perſpectâ verâ illius efficaciſſimæ Actionis causâ, præcepta inde confecerunt, quæ tanquam regulas & ſui ævi hominibus, & poſteritati tradiderunt.

§. XXX. Atque hæc ſunt illa ipſa præcepta, quæ proponere hoc loco decrevi in illorum gratiam, quibus in publico ſunt verba facienda, ut id, quod Natura non niſi rude & inchoatum reliquit, perficere coner, atque doceam, quomodo id, quod aliàs non niſi caſu facerent, certâ ratione, obſervatis regulis efficiant, & agant certo modo id, circa quod aliàs vel in exceſſu, vel in defefectu peccarent; ut differentiâ obſervatâ faciant, quod absque his ubivis indifferenter facerent; denique, ut verbo dicam, ut ſemper aptè & ſcopo convenienter agant id, quod ſine his præceptis ineptè agerent.

§. XXXI. Horum imprimis præceptorum diligenti meditatione atque exercitio Demoſthenes & Cicero admirabilem illam perſuadendi facultatem, ob quam ſine controverſia optimi inter Græcos & Romanos, quotquot unquam fuerunt, Oratores habiti ſunt, acquiſiverunt. Demoſthenes enim initiò Athenis ſine obſervatione præceptorum, naturalis ut ferebat vox, ſimpliciter cauſas agens, bis exploſus eſt à plebe propter vitia pronunciationis notabilia; ſed poſtquam magiſtrorum ſuorum uſus eſt informatione, univerſi populi applauſum tulit. Et manifeſtum eſt, Actioni ejus tribuendum eſſe, quòd fuerit admiratione dignus Orator, quia Æſchynes, Rhodiis orationem illius magni Oratoris, quam habuerat contra ſe, cùm recitâſſet, videns eos omnes admiratione commotos, dixit:

Quantò

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

Quantò magis admirati fuiſſetis, ſi vos ipſummet orantem audiviſſetis?

§. XXXII. Etiam Cicero, cùm primùm Romæ ad dicendum in forum progreſſus eſt, laudem quidem ingenii ſtatim obtinuit, ſed pronunciatio ejus fuit ingrata; quia ſine more modoque, voce agreſtiore & acutiore perorabat: ſed ſublatis illis vitiis, cùm, Informatorum ope, quod deerat perfectionis, ſuæ conciliâſſet pronunciationi, palmam præripuit omnium judicio celeberrimis ſui ævi Oratoribus, & dominium in concionibus nactus, plerumque, quod voluit, aſſecutus eſt. Ecquis jam eſt, qui hæc præcepta inutilia dicere auſit? Nonne quilibet fatebitur, omnem operam illis diſcendis & obſervandis eſſe impendendam?

## Cap. III.

### *Admonitio & Conſilium de Actione datum juvenibus in publico olim dicturis.*

*§. 2. Conſilium datur maturè hanc artem diſcendi.*
*3. Rationes ejus conſilii.*
*4. Monentur juvenes, ne vitia imitentur eorum, quos magni faciunt.*
*5. Exemplis & rationibus probatur.*

§. I.

CUm in eorum juvenum gratiam, qui ſacro ſuggeſtui, aut foro ſua dedicârunt ſtudia, hoc opuſculum conſignaverim, &, quanti momenti hæc ars ſit, demonſtraverim, ut eò feliciùs in hoc laboris genere verſari & ſcopum attingere queant, duplex eis conſilium dandum arbitror.

§. II. Primum eſt, ut maturè hoc agant, &, quantum poſſunt, ſtatim ad horum præceptorum exercitium

accedant, ne quid vitii hiſce regulis contrarii contrahant.

§. III. Quippe ab initio, nondum ullâ conſuetudine corruptis facile eſt mala evitare. Sed, ſi quis malum, diuturno exercitio confirmatum, radicibus ſuis innitentem nactus habitum fuerit, ei difficillimum, ſi non impoſſibile, erit, illum corrigere. In ipſa igitur adoleſcentia & deinceps hoc agendum, cùm ingenium adhuc flexile & ſequax eſt, ut, quas ei dederis, impreſſiones recipiat teneatque: nec expectanda eſt alia ætas, quâ durius illud eſt, quâ defectus quidem noſtros cognoſcimus facilè, ſed de remediis cogitare ſerum eſt. Venit in mentem præſtantium virorum tardiùs hæc præcepta ſequutorum, quos vehementiſſimè pœnituit eo tempore, quo utilitatem eorum capere potuiſſent, hæc ignoráſſe. Erat quidam naturalibus ad Oratoriam donis ſummis præditus; qui tamen nunquam ullas nec in pronunciando, nec in geſtibus obſervaverat regulas, tandem verò ab amico, hanc artem docente, quid ſibi deeſſet, intellexerat: ſed nunquam ſeſe corrigere ad illam artem auſus eſt, quia deſperabat voti compos fieri. Et ſanè rectè ita exiſtimavit. Nam propter naturæ ſuæ impetum finem non obtinuiſſet, & regulæ, quibus adſtringi optabat, animum majori, quàm potuiſſet ferre, tormento ſubjeciſſent, & eam, quæ admirabilis in ipſo fuit, dicendi libertatem atque audaciam abſtuliſſent.

§. IV. Secundum, quod hoc loco monendum duxi, eſt, quia adoleſcentes & juvenes ad imitationem naturâ proni ſunt, imprimis verò eorum, à quibus docentur, imitatione ducuntur, &, quos magni faciunt, hoc eſt, parentes & præceptores æmulari ſolent, ut caveant, ne eos in illis, quibus ipſi contra artem & rationem

aliquid

aliquid committunt, imitentur; oportet enim etiam horum, perinde ut aliorum hominum pronunciationem & geſtus ad regulas artis hujus revocare, quemadmodum in ipſorum moribus inter actiones laudabiles, & eas, quæ non merentur laudari, ex verbo Dei & præceptis Ethicæ, ad averſionem malarum & imitationem bonarum, diſcrimen eſt faciendum. Sedulò, inquam, hoc ipſis eſt cavendum, quia ſæpiùs filii, etiam in rebus malis, parentes imitantur; & quidem citiùs, quàm in bonis. Sic Alcibiades adoleſcens parentem ſuum etiam in eo æmulabatur, quòd is linguâ loqueretur balbutiente; collum, ut ipſe, torquebat; inceſſum ejus mollem imitabatur, togam trahens in platea, ut Archippus, poëta ejus ævi, ipſi exprobrabat. Plut. in Vita Alcibiadis.

§. V. Diſcipuli eodem modo, quia præceptores ſuos magnifaciunt & venerantur, tàm in vitiis, quàm virtutibus eos imitari ſolent. Ita legimus, Platonis diſcipulos latos ejus humeros in ſuis oſtentâſſe, atque Ariſtotelis auditores balbutiem ejus imitatos eſſe. Sic Alexander M. præceptorem ſuum, Leonidam, inceſſu celeriori imitatus, eum morem retinuit, nec corrigere potuit, quoad vixit. Si quis in Academia Profeſſor vitio laborat, ſi v. gr. in gutture, aut vocenaribus compreſſâ loquatur, aut quasdam literas, vel voces malè pronunciet, videbis, multos eorum, qui ſedulam ei dederunt operam, imitatione quâdam iisdem laborare vitiis; quia illum in exemplum ſine diſcrimine bonorum aut malorum ſibi propoſuerunt. Idem de imitatione aliorum magnorum aut celebrium virorum dico, quorum nonnulli ſunt, qui virtutes vitiis notabilibus permixtas habent. Exemplo ſit nobis Barnabas Briſſonius Senatûs Pariſienſis præſes, de quo Varius refert, eruditione eximiâ & eloquentiâ non exiguâ eum floruiſſe, Monſieur du Vair.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00041 DFG

ſed actione peſſimâ, eodm corporis ſtatu, collo aliquantum torto, oculis in cœlum ſublatis perorare ſolitũ: quod quidam, ne viſu turbaretur, & memoriâ vacillaret, eum feciſſe ajunt. Rectè quidem atque ordine faciunt, qui ad virtutes magnorum virorum, quantum poſſunt, imitandas ſeſe componunt: ſed, quia vitia eorum virtutibus mixta ſunt, cavendum eſt, ne ea ſimul amplectamur, neve nobis contingat, quod malis Senecæ in eloquentia imitatoribus; qui quidem præſtantiſſimi & elegantiſſimi fuit ingenii, ut adoleſcentes, qui eum audiverunt, pares illi, aut ſaltem
lib. X. cap. I. proximi fieri meritò ſtuduerint. Aſt quia, ut ait Quintilianus, *dulcibus vitiis abundabat*, & quisque diſcipulorum *ad ea ſe dirigebat effingenda, quæ poterat, deinde cùm ſe jactarent eodem modo dicere, honorare conantes Senecam infamabant.* Reperiuntur hodieque multi non adoleſcentes tantùm, ſed etiam juvenes & ætate provectiores in eodem verſantes errore, qui ſtili ſui vitia illius tanti viri auctoritate ſatis excuſata & defenſa eſſe putant. Sed, ut aliàs ubique, ita hac quoque in re, non exempla, ſed rationem ſequi decet.

## CAP. IV.

### *De Pronunciatione, & primò quidem, curandum nobis eſſe, ut facilè & ſine labore audiri queamus.*

*§. 1. Clarâ voce utatur Orator.*
*2. Si claritas voci deſit, nec ullo labore comparari poſſit, quid agendum.*
*3. Debilis vox exercitio indiget.*
*4. Exemplum Demoſthenis in hac arte ſeſe exercentis.*
*5. Vocis exercitatio ſanitati corporis conducit.*

*6. Si*

*6. Si tamen ea pulmones lædat, parcendum eſt, Ambroſii exemplo.*
*7. Linguæ præcipitantia quomodo corrigenda.*
*8. Si quis literam R. pronunciare non poſſit, quid agendum.*
*9. De Platiaſmo.*
*10. De Cœloſtomia.*
*11. Vox ſit diſtincta & articulata.*
*12. Vox ſonora ſenſim eſt acquirenda.*

§. I.

PRimarium quidem, de quo in hoc libello agendum nobis propoſuimus, eſt Pronunciatio, quippe quæ auditum ejusque delectationem reſpicit, & qui diſciplinarum ſenſus eſt appellatus, hoc eſt, per quem omnium ſcientiarum theoremata & artium ſingularum præcepta ad intellectum perveniunt. Dico itaque, primam debere eſſe curam ei, qui in publico dicere laborat, ut auditores ejus verba facilè & ſine labore percipere queant. Nam niſi audiri poſſit, fruſtra loquitur, &, ſi non niſi cum labore aut moleſtia auditur, duo inde oriuntur incommoda; tùm, quòd illibenter audiatur talis Orator, cùm id, quod cum labore auditur, non ſine quadam animi moleſtia audiri poſſit, quia nimia ibi requiritur attentio; tùm, quòd auditores ad breve quidem tempus ſeipſos veluti cogant, ſed ſine dubio, ſi diutiùs illa coacta attentio poſtuletur, tandem fatigati, offendentur. Alterum incommodum eſt, quòd, dum verba percipere laborant aures, animus minùs rebus, quæ dicuntur, intentus eſſe poſſit, quæ tamen primariam attentionem flagitant. Ad hæc evitanda incommoda neceſſe eſt vocem eſſe claram & ſonoram, ſi non adeò ut in Trachallo, de quo Quintilianus ſcribit, *cùm in Baſilica Julia dixiſſet, quatuor autem pro more judicia tunc fuiſſent coacta, illa omnia clamoribus tremuiſſe, eumq́ auditum, intellectum & laudatum ex quatuor tribunalibus*; ſaltem tanta lib. XII cap. V.

eſſe

eſſe debet, quæ locum, in quo ſermo habetur, implere poſſit. *Eſt enim*, ut optimè Auguſtinus ait, *menſura vocis auditorii magnitudo.*

§. II. Nonnulli igitur vocem claram habent à natura, alii quidem partem ejus naturæ, partem verò arti & exercitio debent, alii denique planè non habent, nec comparare ullo modo poſſunt. Si quis à natura hoc donum eſt indeptus in eminente gradu, ille profectò ad eloquentiam magno inſtructus eſt præſidio, quod exercere & excolere diligenter debet. Sin verò eodem planè deſtitutus eſt, organorum, linguæ, palati, pectoris aut pulmonum pravâ diſpoſitione, aut ſi notabilis balbuties, aut inſuperabilis hæſitatio adeſt, non aliud ei conſilium dederim, quàm quod Apollonius Rhetor dabat hujus artis diſcendæ gratiâ eum accedentibus, quos naturalibus abſolutè ad eam neceſſariis deſtitutos videbat, nempe, ut aliud vitæ genus potiùs ſequantur, quàm inutili conatu id exerceant, in quo nihil operæ pretium præſtare poſſint, ne ſibi vim inferant cum detrimento ſanitatis, quæ poſt æternam ſalutem ſummum, quod conſervare debemus, eſt bonum. Attamen ſi fortè reliqua omnia Oratori neceſſaria adſint, vocis verò claritas ſola ei deſit, autor eſſem, ut idem, quod Iſocrates, eodem defectu laborans, qui tamen in reliquis omnibus excellebat, ingenii exercitium ſuſciperet. *Cùm ſcirem*, inquit in Panathenaico, *ingenium meum ad res gerendas mollius eſſe, quàm oporteat, & ad eloquentiam neq; perfectum, neq; ab omni parte idoneum; quod etſi cujusq; rei veritatem conjecturâ meliùs indagare poteſt, quàm ii, qui ſcientiam profitentur: tamen ſi in conventu magno hominum dicendum ſit, omnium eſt ineptiſſimum. Nam quæ duæ res in civitate plurimum poſſunt, vocis magnitudo & audacia, eæ ſic mibi deſunt, ut haud ſcio,*

*an*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00044

*an ulli civium, quibus facultatibus qui deſtituuntur, nullius inter nos ſunt pretii. Non tamen propter hæc animo abjecto commiſi, ut prorſus inglorius & in obſcuro viverem; ſed cùm mihi capeſſendæ Reipublicæ facultas negata eſſet, ad ſapientiæ vehemens ſtudium, & ad ea ſcribenda, quæ cogitando eruiſſem, confugi, neq. minuta quædam, aut privatos contractus tractandos ſuſcepi; ſed de ſtatu Græciæ, de regiis & Reipublicæ negotiis diſſerui.* Tali in re ſuaderem, eandem curam ut quis capiat, quam ille Orator; &, ſi ſuis orationibus pronunciationis venuſtatem & geſtûs gratiam dare non poſſit, figuris dictionis in ſono verſantibus, numero oratorio & periodorum rotunditate illum defectum compenſare ſtudeat; ut ipſius orationes, ſicut Iſocratis, per ſemetipſas ſint gratæ, quamvis non magno cum artificio legantur & pronuncientur.

§. III. Quòd ſi cui lenior tantùm vox eſt, non ideò deſperet, ſe in publico dicere poſſe; ſed ad illam clariorem magisque ſonoram efficiendam nihil non laboris impendat.

§. IV. Ita enim Demoſthenem feciſſe legimus. Plutarchus in Vita illius dicit, eum vocis exilitate, linguæ obſcuritate & reſpirationis difficultate laborâſſe; nihilominùs ipſum binâ vice publicè perorare auſum eſſe, & fuiſſe exploſum. Addit ille, quòd cùm mœſto ob id animo ſtudium dicendi abjecturus apud Satyrum conqueſtus esſet, ſe reliquis omnibus Oratoribus plus laboris impendere, & tamen populo placere non poſſe, bono, inquit Satyrus, eſto animo, ego citò remedium cauſæ monſtrabo, ſimulque Euripidis, aut Sophoclis quosdam verſus Demoſthenem recitare juſſit, quod cùm ineptiſſimè feciſſet, Satyrus eosdem vultu decenti, aptâ actione, venuſtâque pronunciatione repetiit, ut ille planè alios recitari putaverit, &, quid in dicendo ſibi deeſſet, intellexerit. Idem con-

ſilium & monitum cùm ei dediſſent Eunomus & Andronicus, Rhetores celeberrimi, admirabili ſtudio & deſiderio pronunciationis & geſtuum emendandorum fuit accenſus. Vide, quid egerit: ſubterraneum Muſeum conſici ſibi curavit, in quod deſcendens quotidie & vocem exercuit, & geſtus formavit. Quin etiam nonnunquam bimeſtre, aut trimeſtre tempus continuum ibi egit, raſâ capitis alterâ tantùm parte, ut, etiamſi cuperet, inde prodire ob verecundiam non poſſet. Ibi ea, quæ legebat & memoriæ mandabat, clarâ voce pronunciando ſeſe exercebat, ſenſimque loquendi organa corrigebat, donec vox & latera ejus firmiora fierent. Verùm ille cum ſummis difficultatibus confligebat, lingua ejus inexpedita erat, & verba inarticulatè proferebat, & certas literas, ut ϱ, exprimere non valebat, unde joco dici ſolebat, ipſum ne primam quidem artis ſuæ literam pronunciare poſſe; ſpiritus ille anguſtus, qui non niſi pauca verba ſine interruptione illi proclamare permittebat, ut ſæpiſſimè reſpirandum eſſet; denique magnus concionis, in qua orabat, ſtrepitus. Attamen omnia illa labore & ſtudio removit. Et quidem *linguam minùs volubilem* correxit conjectis in os calculis, quales in ſabulo riparum reperiuntur; quod quidem initiò moleſtiſſimum fuit, & novum laborem attulit; ſed remoto deinceps eo aſſumto impedimento, miram ſenſit linguæ & ſermonis facilitatem & libertatem: *ſpiritum anguſtum*, dum verſus aliquos memoriæ mandatos recitans clivos & colles ſuperabat, & aſcendendo periodos quasdam ſuarum orationum pronunciabat. *Plebis ſtrepitum*, cùm, ad oram maris vento concitati ſæpiùs progreſſus, orationes ſuas declamabat, verborum ſono fluctuum marinorum fragorem ſuperare contendens, ut ſic tandem vocem ſuam ad nutum regere, & formare pro

arbitrio

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00046 DFG

arbitrio poſſet. *Actionis præcepta* primùm ſedulò didicit, dein magno coram ſpeculo, quod omnes ejus corporis motus redderet, quotidie obſervavit ſuos geſtus, & ad artis præcepta revocavit atque correxit. Hâc ratione is denique tàm hac in parte, quàm in reliquis omnibus, Oratorum celeberrimus evaſit. Imitemur illum, quantum per corporis imbecillitatem licet, & ſine dubio voti compotes fiemus. Si vox eſt exilis, laborandum eſt enixè, ut fortior firmiorque reddatur; pronunciandum clarâ voce omne, quod legimus, aut quod memoriæ mandamus.

§. V. Hoc ipſum exercitium, ſi moderatum ſit, (cavendum enim eſt, imprimis initiò) valetudini maximè conducit. Plutarchus hac de cauſa, reliquorum ordinum hominibus varia eò ſpectantia exercitia commendans, Oratoribus nihil aliud ſuaſit, quàm id, quod eorum profeſſio poſtulat, nempe ſæpe multumque loqui & perorare, aut ſaltem clarâ voce legere, quod ille utilius & conducibilius reliquis exercitiis exiſtimat; quia, inquit, cum aliis non niſi membra externa exerceantur, vox corpus in ipſo fonte, ubi orta eſt, in lateribus & pulmonibus, corroborat; calorem naturalem auget; ſanguinem diſcutit; venas omnes purgat; arterias aperit; impedit earum obſtructiones, & humorum ſuperfluorum coagulationem.

§. VI. Quod ſi cui hoc exercitium pectori & pulmonibus ſuis nimis grave videtur, parcat illis, exemplo D. Ambroſii, qui, ut Auguſtinus ſcribit, non niſi tacitus legere ſolebat, ut integram ſervaret vocem, quia, ſi illam privatâ lectione exhauſiſſet, ſentiebat, eam publicæ orationi & actioni non ſatisfacturam eſſe. Attamen interdum & per vices paginas quasdam clarâ voce legere ad conſervandum vigorem utile eſt.

§. VII. Quòd ſi præcipitantia linguæ adeſt, privata lectio tardè & diſtinctè ſæpiùs ita inſtituta, ut omnia verba & ſyllabæ ſingulæ exprimantur, ne qua ſit, quæ minùs plenè aut imperfectè audiatur, donec conſuetudine aliquâ contractâ, liceat dein paulò celeriùs, & tamen diſtinctè dicere. Si fortè ex certis verborum conjunctionibus, & literarum, aut ſyllabarum concurſu aliqua oritur difficultas, ut lingua præcipitari ſoleat, aut in certis formulis, quæ repetendæ ſunt & ſæpe recitandæ, ibi, ſi aliter te expedire nequeas, (ut ſunt, quibus id contingit) mutandus verborum ordo eſt, aut particula quædam inſerenda, aut loco ejus vocis, quæ, ſcopuli inſtar, impingendi occaſionem dat, alia ejusdem ſignificationis ponenda, inde naſcetur pronunciandi facilitas.

§. VIII. Si fortè R pronunciare quis nequeat, quamvis diu id fruſtra ſit conatus, ut videatur planè deſperata ejus expreſſio; non tamen ejus proferendæ literæ ullus fugiendus eſt labor. Etſi enim Athenienſes, qui delicatiſſimas habebant aures, in Alcibiade hoc toleraverint, aut ob ſingularem, modò non nimium, erga eum amoris affectum, aut, quia aliâ pronunciationis venuſtate id compenſabat, quin & peculiarem ei ſuavitatem & elegantiam flexanimem ideò ineſſe exiſtimaverint; nihilominùs vitium illud tale eſt, quod aures graviter offendit, unde ſæpe oritur æquivocatio, quæ occaſionem jocandi & ridendi præbet, ſicut & re verâ Poëtæ illius temporis, in ipſo theatro Athenienſi ea de re ſcommata in Alcibiadem jacta eſſe, docent. Nullus igitur labor non eſt impendendus, ut id vitii tollatur; nec deſperandum, continuo exercitio defectum illum tolli poſſe. Eâ enim ratione Demoſthenes ſperatum ſucceſſum obtinuit, nec alius facilè voto ſuo excidet.

§. IX. Sunt, qui eo vitio, quod Græci Rhetores *Platiaſmum* appellârunt, laborant; eſt verò, quando ore quidem quàm maximè aperto ſonus magnus, ſed inarticulatus & confuſus protruditur, ita, ut dicentes ſatis quidem audiantur, ſed non intelligantur. Quod quidem non tàm eſt naturale vitium, quàm quædam loquentium, aut perorantium affectatio. Opinione enim majeſtatis & auctoritatis, quam voci hâc ratione conciliari autumant, peccant: cùm tamen contrà hoc ipſo id, quod orationi maximè proprium & eſſentiale eſt, adimatur, nempe in omnibus ſuis partibus intelligibile eſſe, & cùm faciat, ut non fit ſermo, ſed tantùm una vox, quia inarticulata eſt. Quod vitium diligenter cavendum, quia orationem noſtram vanam & inutilem planè reddit. Si enim quinque, vel ſex verba duntaxat ita proferantur, ſententiam totius periodi auditorum auribus eripiunt; & aliquot periodi ita pronunciatæ, ut de toto ſermonis argumento nihil ferè intelligas, nec quicquam boni inde retinere queas, efficiunt.

§. X. Aliud, huic vitio contrarium, à Rhetoribus *Cœloſtomia* appellatum, in eo conſiſtit, cùm is, qui loquitur, non ſatis diducit oris rictum, magnum quidem ſonum, ſed confuſum in palato revolvens, non verò protruſum: quod æquè eſt incommodum, atque illud, de quo jam dictum.

§. XI. De cura igitur impendenda, ut facilè intelligatur Orator, duo ſunt tantùm monenda. Primum eſt, quòd duarum illarum rerum ad id neceſſariarum, quæ ſunt, ut quis habeat vocem articulatam & ſatis diſtinctam; & deinde ſatis claram atque ſonoram, prior majoris momenti, magiſque neceſſaria ſit. Qui enim mediocri vocis claritate pollet, dummodo pronunciatione diſtinctâ u-

 tatur,

tatur, faciliùs intelligetur, quàm alius, qui vehementiore quidem voce, ſed verbis non ita in articulos diſtinctis loquitur. Et ſanè novi virum præclarum ſexaginta jam propemodum annos perorantem, qui, licet nunquam, niſi valdè mediocri voce, loquutus ſit; tamen, quia bellè verba pronunciat, ne ulla eorum pereat ſyllaba, ſemper hactenus ab omnibus facilè intelligi potuit, niſi quòd jam nuper ex ſenectute debilitata ſunt ejus ſermonis inſtrumenta. Secundum eſt, ut cogitemus, ad ſonoram & maſculam vocem comparandam non accedendum eſſe uno velut ictu & momento, aut violentiâ quâdam naturæ noſtræ contrariâ; ſed non, niſi per gradus, eò eſſe deveniendum. Sic enim vox, quæ initiò exilis atque debilis erat, ſenſim ſine vi, pectori, aut pulmonibus illatâ, corroboratur, atque ita tandem illam vocis claritatem nanciſcimur, quam nunquam nos adepturos antea ſperâſſemus.

## Cap. V.

### *De cura ſuavitatis, ut, qui nos audiunt, voluptate quâdam afficiantur.*

*§. 1. Cauſa, vocis ſuavitatem impedientes, aperiuntur.*

*2. Suavitas illa labore obtineri poteſt.*

*3. Signum ſuavitatis practicum.*

*4. Tuſſis cavenda; à ſcreatu abſtinendum.*

*5. Vocis notabilis ſit differentia, pro diverſitate orationis.*

*6. Exemplo Autoris docetur variatio vocis.*

*7. Natura & Ratio duces optimæ.*

*8. Colloquii familiaris melodia normam varianda vocis prabet.*

*9. Ratio idem docet.*

§. I.

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00050

§. I.

NOn ſatis eſt, nos ſine moleſtia, aut difficultate audiri, oportet, ut audiamur, ſi fieri ullo modo poteſt, cum voluptate. Et propterea opera danda eſt, ut vox ſit auribus ſuaviſſima & dulciſſima. Si quid habet naturâ aſperitatis, ingrati, aut rauci, rimanda ejus eſt cauſa, ut remedium peti poſſit. Si non niſi ex mala conſuetudine eſt, illa, quæ ei directò contraria, quàm citiſſimè aſciſcenda eſt; ſin verò deprehendis, ex mala corporis diſpoſitione eſſe, aut organis malè diſpoſitis, tàm à frugalitate & diæta ex Medicorum conſilio obſervata, quàm diligenti & continuo exercitio remedia ſunt petenda. Huic exercitio veteres matutino tempore vacandum eſſe putârunt, quia tunc organa illa minùs ſunt impedita.

§. II. Nam curâ & exercitio talem ſuavitatem acquiri poſſe, patet exemplo Ciceronis, de quo Plutarchus, in Vita ejus, refert, eum initiò agreſtem & nimiam habuiſſe vocem; ſed itinere in Græciam facto, ita illam formâſſe, ut dein aures ſono ſuaviſſimo & gratiſſimo permulcere ſolitus ſit.

§. III. Denique opera ſemper danda eſt, ut talis ſit vox, cujus tonus & variatio auditorem voluptate afficiat, etiamſi linguam noſtram, aut id, de quo verba facimus, non intelligeret; quemadmodum Philoſtratus de Sophiſta Phavorino & Adriano Phœnicio ſcribit, etiam Græcæ Linguæ ignaros auditores Græcis illorum declamationibus ſolâ vocis ſuavitate captos & vehementer delectatos eſſe.

§. IV. Eorum quoque vitium, qui inter dicendum frequenter ſcreant, aut tuſſiunt, quantum fieri poteſt, fugiendum eſt; quia ſermonis curſus & pronunciatio interrumpitur, non ſine ſumma auditorum moleſtia, quorum oculi & aures

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00051 DFG

aures non parùm offenduntur. Hoc verò vitium evitari poſſe, magisque ex mala conſuetudine, quàm naturæ neceſſitate oriri, inde clarum eſt, quòd plerique Oratores illis abſtinent. Novi concionatorem, qui nunquam, è ſuggeſtu loquens, ſcreat, aut tuſſit, ne tum quidem, quando maximè rheumate & tuſſi aliàs affligitur, ſive id longo uſu obtinuerit, ſive calor ex actione illa ſubortus defluxiones tamdiu ſiſtat. Dico tamen, ***quantum poteſt*** coërcendam eſſe tuſſim, & ſcreatus vitandos; quia reperiuntur adeò pituitoſi nonnulli, qui certis anni temporibus catarrhis ita laborant, ut planè illis ſcreatibus, dum perorant, abſtinere nequeant: nihilominùs ſi deſiderant grati eſſe Oratores, & ipsâ pronunciatione quoque placere, nihil non ad ſenſim tollendum hoc vitium agere debent. Olim non defuerunt monachi ſatis inepti quidem illi, qui tuſſim inter dicendum, tanquam gratam & ſermoni gravitatem conciliantem affectârunt, ut Olivarius Malliardus, qui Sermoni ſuo, quem Brugis Flandriæ An. 1500. habuit, ubicunque inter loquendum tuſſiendum eſſe exiſtimavit, inſeruit ***hem, hem, hem***, ut ea, quæ typis excuſa ſunt, teſtantur.

§. V. Porrò hoc etiam præ cæteris diligenter commendo, ut vocis differentiam quandam, & illam quidem notabilem facere laboremus, pro diverſitate rerum, de quibus loquimur: pro affectu, quem oſtendere, aut movere volumus: ratione etiam partium orationis, verborum, quibus utimur, magis vel minùs ſignificantium, aut plùs, vel minùs ſonantium. Quemadmodum enim Muſicus, qui fidibus canit, ſi ſemper eàdem chordâ oberrat, ridiculus & ingratus eſt; ita nihil eſt, quod majore afficere poſſit tædio auditores, quàm vox ſemper uniformis & ejusdem ſoni. Non quidem hoc dico, quaſi inter tot Oratores,

ratores, qui hac in re peccare deprehenduntur, nemo ſit, qui, licet non ut par erat, vocis variationem faciat, tamen eam vocis ſuavitatem habeat, quæ, auribus gratâ quâdam venuſtate, nihilominùs delectet: ſed illa longè gratior ſine dubio foret, ſi ei rebus dicendis & affectibus movendis conveniens accederet variatio. Deinde vox adeò ſuavis, ut etiam malè temperata placeat, non temerè ulli mortalium obtingit; ſed potiùs à natura conceſſa Oratori ſuavitas plerumque hoc vitio ingratiſſima redditur. Addo præterea, non auribus ſolùm moleſtam eſſe talem uniſonam orationem, ſed etiam propter duas rationes repugnare ſcopo, quem ferire Orator deſiderat. *Primò* enim ubique æqualis & ſibi conformis pronunciatio omnes orationis partes æquales ſibiq́ue ſimiles reddit, omnemq́ue argumentorum & probationum vim, quam habet, minuit; quicquid illuſtre & reſonans eſt in figuris dictionis & totâ oratione, tollit, ut id, quod quàm maximè animos movere debet, evaneſcat, nihilq́ue planè moveat; quia non variè, ſed uniformiter eſt pronunciatum. *Secundò*, nihil eſt tàm ſoporiferum, quàm prolixus ſine toni variatione ſermo, & multi, licet continuè eum, qui loquitur, intueantur, propter hoc pronunciationis vitium ſomnum arcere non poſſunt. Et nihilominùs hoc æquabilis ſoni vitium vulgatum, & modò non generale eſt plerorumq; Oratorum.

§. VI. Equidem ipſe non minùs, quàm alii, initiò eodem laboravi; & neſcio, quâ patientiâ me audire potuerint, qui mihi operam dederunt. Pronunciabam enim ita, ut mihi ipſi quàm minimè ſatisfacerem; ſed deinceps curam vocis variandæ cepi, ut eam minùs ingratam efficerem. Primùm igitur ad indagandas vitioſæ pronunciationis cauſas animum adpuli, quam plerique non advertentes uſurpant, & quam etiam illi, qui vitioſam in ſeſe

probè agnoſcunt, deponere ægerrimè poſſunt, nec aliam deprehendi, quàm hanc, quòd illi, qui pueros legere docent, omnia, quæ legunt, eodem modo & tono proferre ac pronunciare aſſuefaciunt; iidem ex eo dimiſſi ludo incidunt in alios non meliores præceptores, nempe eos, qui illis Grammaticæ rudimenta tradunt & Rhetoricæ eodem planè modo, nec ſolùm nullam agunt curam à mala conſuetudine eos revocandi, ſed ipſi, malo exemplo præeuntes, pronunciant omnia, quæ legunt, & quæ memoriter recitant, eodem planè modulo & accentu, longè profectò alio, multumque differente ab illo, quo in familiari utimur ſermone, cùm tamen inter hunc & publicè habitam orationem nulla alia debeat intervenire differentia, quàm ut vox auditorii magnitudini & auditorum frequentiæ & multitudini adaptetur.

§. VII. Ideoque optimos dicendi magiſtros, id eſt, Naturam & Rationem, audiendos eſſe ſtatuebam. Et hæ ſunt, quas omnibus, qui in hac arte felices progreſſus facere optant, ſequendas puto. Nonne Natura ipſa aliâ pronunciatione in rebus triſtibus & lugubribus; aliâ in lætis & auditu jucundis; aliâ, quando cenſuram agimus facinorum & criminum; aliâ in conſolandis afflictis; aliâ in exprobrandis erroribus; aliâ in deprecatione culpæ noſtræ; aliâ in minis; aliâ in promiſſis & precibus; aliâ, cùm tranquillâ mente, aliâ, cùm iratâ & commotâ loquimur, nos uti cogit? Quæ certè differentia tàm naturalis & univerſalis eſt, ut, ſi linguâ nobis ignotâ colloquentes audimus, quorum hic iratus, ille meticuloſus, hic lætus, alter triſtis eſt, nos illam ſingulorum affectuum differentiam facilè deprehendamus, non ſolùm ex actione & geſtu, ſed etiam ex tono vocis. Quare autem, ubi Natura clarè præit, Pronunciatio noſtra eam non ſequatur? Quò propiùs



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00054 DFG

piùs illa Naturam premit, eò eſt perfectior, &, quò longiùs ab ea recedit, eò eſt vitioſior.

§. VIII. Quapropter ad variandam in dicendo vocem nihil eſt utilius obſervatione illâ, quâ vulgaria colloquia attenduntur, & ſi quisque revocet in memoriam, quâ ratione cum amicis agere & colloqui ipſe ſoleat: quomodo fœmina pronunciet, cùm ob illatam injuriam irata; cùm de obitu mariti, aut liberorum, verba facit, eodem planè modo de ſimilis argumenti rebus nobis etiam in publico dicentibus vox eſt formanda, hoc ſolummodò reſpiciendo, quantò clariùs dicendum ſit in palatio, templo, auditorio, quàm in privatorum conclavibus. Ita actores fabularum pro diverſitate perſonarum, negotiorum & rerum vocem moderantes Naturam quàm proximè ſequuntur, eodem accentu, quo familiari in ſermone, utuntur; ſed majore cum contentione & vi vocis pro theatri magnitudine.

§. IX. *Ratio* quoque ipſa nos docet, cùm ſermo à Deo nobis datus ſit interpres cogitationum, & ſpeculum affectuum noſtrorum, nos debere operam dare, ut tàm differentes & contrarios animi noſtri affectus, quos intus tantùm ſentimus, ad ſimiles in animis auditorum noſtrorum excitandos, diverſò vocis noſtræ ſono & modulo conſpicuos ingenuè proponamus. Illa docet porrò, nos id, quod Deus Opt. Max. in creatione hujus univerſi diſtinguendo tot ſpecies obverſantes oculis noſtris, ſine quibus nihil niſi confuſa & informis maſſa foret mundus; in productione & formatione corporis noſtri ex tot differentibus partibus compoſiti, ſine quibus deformis & horrida carnis portio eſſet, fecit, imitari debere in noſtris ſermonibus & orationibus, non ſolùm Inveniendo, Diſponendo, Eloquendo, ſed etiam Pronunciando. Si pronunciatio-

nem noſtram venuſtam eſſe, & auditores, etiam maximo tædio affectos, ad attentionem inducere voluptate illâ, quâ pronunciatio eos permulcet, volumus, quantum poteſt, illa eſt varianda. Omnis labor in eo verſatur, ut ſcias, quâ ratione, & quidem ad rem accommodatè id fieri poſſit. Et de hoc præcepta quædam nunc trademus.

## Cap. VI.

### *De vocis variatione pracepta generalia.*

*§. 1. Triplex vocis differentia.*
*2. Mediocritatem in ſingulis ſequi decet.*
*3. Mart. Capellæ conſilium rejicitur.*
*4. Nimiæ contentionis incommoda exemplis monſtrata.*
*5. Nimia vocis remiſſio fugienda.*
*6. Celeritas in dicendo vitanda.*
*7. Nimia tarditas moleſta eſt auditoribus.*
*8. Medium quod obſervandum, non repugnat variationi.*
*9. Variatio vocis non tanta eſſe debet, ut alius Orator videatur dicere.*

§. I.

QUemadmodum corpus trinam dimenſionem; ita etiam vox tres ſingulares habet differentias, altitudinis & profunditatis, contentionis aut ſuavitatis, & celeritatis ac tarditatis.

§. II. In ſingulis illis Orator mediocritatem, & nihilominùs ſimul variationem, quam in omni oratione tàm neceſſariam eſſe diximus, obſervare debet. Dico primò, mediocritatem hîc etiam eſſe ſervandam, quia utrumque extremorum vitioſum & ingratum eſt. Reſpectu igitur elevationis extremum eſt fugiendum, ne unquam ad ſummum usque tonum, quem vox attingere poteſt, elevetur;

neque

neque unquam ad imum, quousque deſcendere poteſt, deprimatur. Quippe in ſummo elevationis tono non dicere, ſed clamare, aut vociferari ſolemus: quemadmodum Ciceronis ævo clamatores illi, quos ipſe ſimiles eſſe claudis ajebat, equitantibus ideò, quod ambulare non poſſent; ita illos clamare, cùm dicere neſcirent; ſicut ipſemet, antequam à præceptoribus meliora doctus eſſet, vocem ad tonum nimis acutum & ingratum extulerat. Nam præterquam quòd indecorum & inventuſtum eſt, etiam fauces dicentis valdè lædit, & aures audientium pariter offendit. Deſcendere autem usque ad imum vocis quaſi fundum, murmurare, non dicere eſſet, & vel à nullo, vel à paucis tantùm audiretur non ſine moleſtia reliqui totius auditorii.

§. III. In quo Martianus Capella erravit, vel ſaltem inconvenientia ſcripſit, cùm ante orationem publicè habendam ſuaſit, formandam priùs eſſe vocem lectione privatâ, atque initium non à clamore; ſed à parvo murmure faciendum, ut ſimili & æquali voce in publico pronunciare poſſimus. Nam quâ ratione, qui cum exiguo murmure incipit, in magna concione audiri poſſet?

§. IV. Simili de cauſa neque in contentione unquam ad extremitatem usque vocem torquere debet: quia nihil violentum diuturnum, ideoque continuare eo modo ſermonem non poſſet, ſed deficeret eum certè vox; ſicut fides Muſicorum inſtrumentorum, ſi nimium tendantur, rumpi videmus. Accideret id, quod Adriano Phœnicio apud Philoſtratum, qui ad tragicam usque pronunciationem adeò abripiebatur, ut ſubitò eum vox deſtitueret, & vel tacere, vel tàm ſubmiſsè loqui, ut vix audiri poſſet, cogeretur: aut quod Zoſimo, Plinii junioris liberto, qui, cùm nimis violenter declamaret, ſanguinem vomere cœ-

pit, ut ejus Patronus hoc exercitio ad tempus ei interdixerit, & parvo itinere in Ægyptum interpoſito ipſi ferias & quietem ab illo labore injunxerit; ſed reverſus ex itinere, cùm eâdem contentione recitare de novo pergeret, in idem ſymptoma incurrit. Qui vel tenerioris eſt valetudinis, aut provectioris ætatis, caveat, ne ſibi contingat, quod regi Attalo, qui Thebis perorans in publico conſeſſu, & vehementiore motu atque actione, quàm corporis imbecillitas & ætatis ratio permittebat, ſubitò ita attonitus & mutus factus, ut domum portatus, & paulò pòſt Pergamum abductus expiraverit.

§. V. Verùm contrarium Oratori eâdem diligentiâ cavendum eſt, ne nimiùm vocem ſubmittat. Talis enim oratio elumbis foret, & ſicut Orator non commotus videretur, ita & neminem auditorum moveret.

§. VI. Quod ad celeritatem in pronunciando; vox ita moderanda eſt, ne præcipitetur, ut in Q. Haterio, de quo Auguſtus dicebat: *Haterius noſter ſufflaminandus eſt*, quaſi de curru, cujus rotæ, quando declivi decurrit viâ, ne præcipitetur, aut evertatur, radiis quibusdam retineri & ſufflaminori ſolent. De Serapione Lucilius ad Senecam ſcribebat, ipſum tantâ promtitudine & tot verbis densè conglomeratis loqui ſolere, ut verborum & cogitationum copiæ ac multitudini una vox non ſufficiens futura videretur. Illud certè non una de cauſa in vitio eſt. Namque talis loquendi intemperies ſcholam ſapit, ubi diſcipulus, ut lectionem probè didiciſſe demonſtret, quàm celerrimè eam recitat. Agyrtarum potiùs talis eſſe ſolet garrulitas, plebem in theatro ſuo detinere laborantium, quàm gravium Oratorum, ſeria proponentium. Nec magis decet ejusmodi orationis feſtinatio, quàm curſus in publica via, quo non niſi pediſſequos aut deliros fatigari videmus.

Senec. Ep. 40. Audiſſe te, ſcribis, Serapione Philoſophum, cùm iſtuc applicuiſſet, ſolere magno curſu verba convolvere, quæ non effundit unà, ſed premit & urget; plura enim veniunt, quàm quibus vox una ſufficiat.

Vir

Vir gravis tàm in ſermone, quàm inceſſu certos facit gradus, quemadmodum Cicero in ſuis orationibus feciſſe à Seneca dicitur. Qui illo præcipitantis linguæ laborat vitio, nonnullis eſt admirationi, & propterea magni æſtimatur. Nam ut D. Hieronymus, poſt D. Gregorium Nazianzenum, præceptorem ſuum, ait, nihil facilius eſt homini imperito, quàm verborum curſu & eloquii promtitudine admirationem plebis excitare. Sed hoc modo comparata fama & admiratio non erit diuturna; &, ſi viventem Oratorem non deſerit, tamen ſcripta ejus nequaquam gloria ſequetur, nec memoriam poſt fata honorificè comitabitur, ut demonſtrat Haterii, cujus mentio jam facta eſt, exemplum; de quo Tacitus: *eloquentiæ, quoad vixit,* IV. Annal. 61.
*celebratæ, monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quàm curâ vigebat, utq; aliorum meditatio & labor in poſterum valeſcit; ſic Haterii canorum illud & profluens cum illo ſimul extinctum eſt.* Vitium in Oratore non ſolùm valdè indecens, ſed etiam ſcopo dicentis, qui eſt perſuaſio, repugnans: cùm, qui meditandi & conſiderandi ſpatium non dat auditoribus ſuis, perſuadere nequeat. Quî enim Judex Advocatum ita feſtinantem ſequi, aut orationem adeò præcipitatam animo rectè percipere poſſit? Quî poſſit populus rationes & argumenta retinere, quibus perſuadendum, ſi illa inſtar fulguris prætereunt? Ejusmodi linguæ volubilis properatio, pauſam nullam faciens, hoc etiam incommodi habet, quòd nec periodorum diſtinctionem, nec illam, quæ ex orationis numero oritur, voluptatem percipiendi auditoribus poteſtatem facit. Ne dicam, nihil magis nocere pulmoni, nihil magis latera fatigare, quàm pronunciatio adeò contentioſa, quæ nihil remiſſionis & relaxationis habet: cùm multi

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00059 DFG

multi ex eo morbum contraxerint, quin & alii mortem ipſam ſibi ita conciverint.

§. VII. Sed hunc exceſſum dum vitari jubeo, non ad alterum extremum quenquam invito; dum nimium curſum vitupero, nolo incedere ægrotantis inſtar, aut velut is, qui morbo diuturno eluctatus debilia vix trahit membra. Lingua Oratoris auditorum auribus accommodata ſit, nec ita feſtinet, ut hæ ſequi nequeant; neque etiam nimiâ verborum expectatione eas fatiget, quemadmodum Vinicius ille, quem *per intervalla loqui* Aſellius ajebat, & Geminius Varus, qui mirabatur, ſuam aliquo loco eſſe eloquentiam, qui ne tria quidem ſimul proferre verba poterat. Tædioſum enim eſt audire verba nobis annumerari, ut dicere liceat: *aut loquere, aut tace.* Ut venuſta ſit, fluat oratio; ſed ut rivus, non verò ut torrens.

§. VIII. Addidi, varietatem adjungendam eſſe, quia mediocritas illa, de qua mihi ſermo, in puncto indiviſibili non eſt poſita; ſed habet ſuam latitudinem, certosque gradus. Nam quod vocis elevationem & depreſſionem attinet, quinque vel ſex ſunt toni inter ſummum & imum. Etiamſi igitur Orator evitet duo extrema, quæ ut ingrata rejicio, ſervans medium rationi conveniens; ſatis tamen ipſi ſpatii eſt inter illa duo extrema vocem ſuam variandi, & quinque, vel ſex tonos arte quâdam adhibendi. Contentionem & ſuavitatem quod ſpectat, quanquam Orator extrema illa, quæ naturam lædunt, & aures offendunt, non ſequatur, neque in tædioſo languore ſubſiſtat; pronunciationi tamen ſuæ plus, vel minus vehementiæ, aut gratiæ, pro rerum, quas tractat, diverſitate addere poterit. Sic circa celeritatem & tarditatem, licet nimiam lentitudinem & maximam præcipitantiam evitare

tare

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00060

tare debeat; poterit tamen nunc citiùs, nunc tardiùs incedere, quoties commodum aptumque judicaverit.

§. IX. Denique hoc conſilium do, ne, ſi vocem variare velit, id faciat ex abrupto, & per nimiam vocis differentiem; ſed pedetentim & moderatè id fiat. Quod ideò moneo, quia obſervavi, etiam ſummos viros quosdam, variando vocem, tantam ei mutationem addidiſſe, & tàm inexpectatò, ut omnes auditores in admirationem raperent, & ſi quis eos audiret, nec videret, alium quendam loquentem ſeſe audire, credidiſſet; id quod, tanquam valdè indecorum, evitandum eſt.

## CAP. VII.

### *Specialia pracepta, & primò de vocis variatione ratione rei, de quá ſermo eſt.*

*§. 1. Generalia, jam tradita, non ſufficiunt.*
*2. Diviſio eorum, de quibus dicere ſolemus.*
*3. Naturales res proponens quomodo pronunciare debeat.*
*4. De Actionibus humanis orans quâ voce uti debeat.*

§. I.

NOn ſatis eſt ſcire, vocem in auditorum gratiam, & ad eorum voluptatem variandam, & generalia illa, quæ jam indicata ſunt, obſervanda eſſe. Regulæ dandæ ſunt de omnibus aliis mutationibus & variationibus neceſſariis, prout requirit rei, de qua agit Orator, qualitas; affectuum, quos præ ſe ferre, vel movere in aliis laborat, natura; orationis partes diverſæ; figuræ, quæ adhibentur, & verba, quibus utitur orator.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00061

§. II. Ut à rebus dicendis ordiar, illæ non ſunt unius generis. Sunt enim v. gr. res naturales, hominum actiones bonæ vel malæ, vitæ humanæ caſus felices aut infelices. Hæc, & ſimilia plura, cùm ſint diſſimilis planè rationis inter ſe ac naturæ, etiam ratione planè diverſâ pronuncianda ſunt.

§. III. Si enim de rebus naturalibus eâ fini tantùm agis, ut eas auditoribus intelligendas proponas & explices, non opus eſt contentionem, aut commotionem, vel fervorem addere; ſed ſufficit vox elegans & articulata, quia ibi non opus eſt affectus moveri; ſed intellectum auditoris informari & doceri. Verùm, ſi hoc agis, ut ob miracula bonitatis, ſapientiæ & potentiæ ejus, qui condidit illas, in admirationem ducere velis auditores, id gravi voce & tono admirationis efficiendum eſt.

§. IV. Quòd ſi actiones hominum vel juſtas & honeſtas proponimus eo fine, ut auditores noſtri eas tanti æſtiment, quanti nos ipſi eas facimus, quod in Panegyricis fieri aſſolet; vel verò injuſtas & infames, quas deteſtari volumus auditores eo modo, quo nos illas averſamur & deteſtamur, ut in Accuſatione aut Philippica quadam, vocis noſtræ accentum qualitati harum rerum accommodare debemus: juſtis & honeſtis actionibus proponendis elevata plenaque pronunciatio adhibenda eſt; ſonus, qui animum contentum, æſtimantem & admirantem ſpiret, uſurpandus eſt: & actionibus injuſtis atque infamibus vox commota, valida cum indignationis & execrationis ſono, convenit. Ita etiam vox varianda eſt ex hac ratione planè diverſa, ſi v. g. ſermo ſit de illis, qui proſperâ uſi ſunt fortunâ & gratulationes à nobis expectant, ibi clarâ & hilari voce opus eſt; in mœſtis verò & infelicibus contrariâ, ſicut in funebribus, triſti videlicet & querulâ voce & tono utendum.

dum. In omnibus illis obſervandum præterea hoc eſt, quòd, ſicut res naturales ratione magnitudinis, pulchritudinis & ſplendoris non æqualem conſiderationem merentur; (quippe cœlum terram longè ſuperat; ſol & aſtra herbas & inſecta hoc modo vincunt) ita nec, ut æquali pompâ & magnificâ voce de illis ſermo fiat, deſiderant. Cùm res ab hominibus geſtæ, & varii humanæ vitæ caſus non ſint ejusdem omnes momenti, quippe atrox & extraordinarium crimen longè majoris eſt, quàm error aliquis communis; honor & vita quovis damno alio magis æſtimanda; Imperatoris alicujus & hoſtium domitoris heroicæ expeditiones, cujuscunque hominis è vulgo actiones ordinarias longè ſuperant; ſalus, aut interitus Reipublicæ, utilitatem & damnum unius civis longè antecellit; ideò illa vehementiore longeqúe magis commotâ voce, quàm hæc, pronunciari volúnt. Tragicâ enim voce res vulgares & quotidianas, aut ſubmiſsâ & familiari res magnas pronunciare, ridiculum eſſet.

## Cap. VIII.

### *De variatione vocis ratione affectuum.*

*§. 1. Orator diligenti meditatione rei, de qua dicturus eſt, affectus ſibi ipſi moveat, quos in auditoribus excitare deſiderat.*

*2. Exemplum Civilis & Sacri Oratoris.*

*3. Pro ratione affectuum vox moderanda.*

*4. Exempla iræ ex Terentii, & miſericordiæ ex Ciceronis ſcriptis.*

*5. Affectus verbis & voce repræſentatus movet plerumq; animum auditoris.*

*6. Exemplum admirationis in laude Pompeji ex Cicerone.*

*7. Exemplum contemtûs ex Cicer. Orat. in Cæcilium.*

*8. Regula prudentiæ circa contemtum.*
*9. Querela quomodo ſit proferenda.*
*10. Vox, poſt patheticam orationem finitam, remittenda.*
*11. Conſilium progymnaſticum de voce formanda.*

§. I.

HÆc ſingula attentè conſiderata & imaginationi vehementer impreſſa movere tibi poſſunt affectum gaudii aut triſtitiæ, metûs aut fiduciæ, iræ aut miſericordiæ, admirationis aut contemtûs: & ſi benè pronunciata repræſententur, ut par eſt, eosdem affectus in auditorum animis excitare poſſunt. Eum igitur, qui in publico verba facturus, decet rem, de qua dicturus eſt, diligenter priùs conſiderare, eamque animo benè inſculptam habere, ut eâ probè animo commotus ipſe deinde alios eò efficaciùs moveat.

§. II. Cauſæ patronus ipſam cauſam, quam defenſurus eſt, penitus animo perceptam habeat, de clientis jure optimè inſtructus, ejus cauſam ſuam exiſtimet, ejus adverſis rebus commotus, injuriam ipſi illatam ægerrimè, & malitiam eorum, qui eum vexant, indignè ferat, ut judicibus eam perſuadeat, in eorumque animis eosdem, quos ipſe ſentit, excitet affectus. Verbi divini præco Dei O. M. majeſtatem, præceptorum ejus & doctrinarum veritatem atque juſtitiam animo ſuo rectè concipiat: vivo virtutis ardeat amore, odioque vitiorum flagret: commiſerationem erga pauperes, cùm eos divitum charitati commendat, præ ſe ferat, ſalutisq; omnium auditorum ſuorum deſiderio vehementiſſimo ſit incenſus. Sic animo affectus pronunciatione affectibus rectè accommodatâ interiorem motum ſuum oſtendat. Prout enim fidicen pulſaverit, ſonus edetur; ſi leviter, ſuavem chordæ edent ſonum,

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00064

num; ſin graviùs, ſonus erit major & vehementior. Eadem eſt verborum & ſermonis ratio. Si is ex vehementi affectu ortus eſt, ſimilem etiam pronunciationem gignet; ſin ex placido animo, illius placidam quoque pronunciationem efficiet.

§. III. Vocem igitur moderari oportet juxta naturam affectuum, quos animo ſentit & in aliis movere deſiderat Orator. *Amorem* ſuavi, amœnâ & alliciente; *odium* verò aſperâ & ſeverâ voce indicabit. *Gaudium* hilari, ſonorâ, plenâ & fluidâ voce; *triſtitiam* verò obtuſâ, languidâ, querulâ, imò ſæpè ſuſpiriis & gemitibus interruptâ voce prodet. Si *metuit*, tremulo & hæſitante ſono id ſignificabit. Quòd ſi verò *audacia* adeſt & fiducia, altâ firmâque voce eam oſtendet: ſi *iracundus* eſt, acuta, cum impetu prolata, violenta vox & crebræ reſpirationes indicium iræ facient.

§. IV. Ita cùm Geta in Adelphis dicit: *Ab*

*Me miſerum, vix ſum compos animi, ita ardeo iracundiâ,* Act. III. Sc. II.
*Nihil eſt, quod malim, quàm totam familiam mihi dari obviam,*
*Ut iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc eſt recens;*
*Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modò:*
*Seni animam primùm extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus:*
*Tum autem Syrum impulſorem, vah! quibus illum lacerarem modis!*
*Sublimem medium arriperem, capite primùm in terram ſtatuerem;*
*Ut cerebro diſpergat viam:*
*Adoleſcenti ipſi oculos eriperem, poſt hæc præcipitem darem;*
*Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem & proſternerem.*



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00065 DFG

hæc tono exaltato, voce commotâ, & eâ ratione, quâ is, qui totus excanduit, & præ ira non eſt mentis compos, loqui ſolet, pronunçianda ſunt. Et heræ ſuæ obviam factus dicit: *Periimus, Actum eſt, jam Æſchinus alienus eſt à noſtra familia, amare occepit aliam, neq; id occultè fert; à lenone ipſus eripuit palàm.* Apparet ex verbis à Soſtrata interjectis. Actorem fabulæ ea verba pronunciâſſe crebris interruptisque reſpirationibus, quæ membra fracti illius ſermonis commatibus diſtinxi, quaſi ira ipſum ſuffocâſſet, & plura uno ſpiritu pronunciare impediviſſet. Sic cùm Cicero Orationem pro Quintio his verbis finit: *Omnia circumſpexit Quintius, omnia periclitatus eſt, C. Aquilli: non prætorem modò, à quo jus impetraret, invenire non potuit, atq; adeo ne unde arbitratu ſuo poſtularet: ſed ne amicos quidem Sex. Nævii: quorum ſæpe, & diu ad pedes jacuit ſtratus, obſecrans per Deos immortaleis, ut aut ſecum jure contenderent, aut injuriam ſine ignominia ſibi imponerent. Deniq; ipſius inimici vultum ſuperbiſſimum ſubiit: ipſius Sext. Nævii lacrymans manum prebendit, in propinquorum bonis proſcribendis exercitatam: obſecravit per fratris ſui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipſius conjugem & liberos, quibus propior P. Quintio nemo eſt, ut aliquando miſericordiam caperet aliquam, ſi non propinquitatis, at ætatis ſuæ; ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet: ut ſecum aliquid, integrâ ſuâ famâ, quâlibet, dummodo tolerabili, conditione tranſigeret. Ab ipſo repudiatus, ab amicis ejus non ſublevatus, ab omni magiſtratu agitatus, atq; perterritus, quem præter te appellet, habet neminem: tibi ſe, tibi ſuas omnes opes, fortunasq; commendat: tibi committit exiſtimationem, ac ſpem reliquæ vitæ. Multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis, non turpis ad te, ſed miſer confugit: è fundo ornatiſſimo dejectus, ignominiis*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

*miniis omnibus appetitus, cùm illum in ſuis paternis bonis dominari videret, ipſe filiæ nubili dotem conficere non poſſet, nihil alienum tamen vitâ ſuperiore commiſit. Itaq; te hoc obſecrat, C. Aquilli, ut, quam exiſtimationem, quam honeſtatem in judicium tuum, propè actâ jam ætate, decurſâq; attulit, eam liceat ſecum ex hoc loco efferre: ne is, de cujus officio nemo unquam dubitavit, ſexageſimo deniq; anno, dedecore, maculâ, turpiſſimâq; ignominiâ notetur: ne ornamentis ejus omnibus Sex. Nævius pro ſpoliis abutatur: ne per te ferat, quò minùs, quæ exiſtimatio P. Quintium usq; ad ſenectutem perduxit, eadem usq; ad rogum proſequatur.* Apparet, oportuiſſe illum humiliore & ſubmiſſiore voce hæc pronunciare, cùm alloqueretur judices, in quorum arbitrio Quintii fortuna, honor & vita erat: vocem flexiſſe ad modulos, quos aptiſſimos ad animos illorum movendos exiſtimavit: loquutum eſſe animo quidem commoto, ſed blandimentis, & animo afflicto & ad miſericordiam ſui clientis valdè commoto, ut animos auditorum ſuorum eodem affectu moveret.

§. V. Quippe fieri nequit, ut affectus eo modo repræſentatus animos eorum, ad quos verba fiunt, non moveat. Eâdem ratione idem Auctor in prima Tuſculanarum Quæſtt. dicit, veteris Poëtæ Tragici verſus hosce, quibus fingitur è terra exortus defunctus filius non ſepultus matrem alloqui:

*Mater, te appello, tu, quæ curam ſomno ſuſpenſo levas,*
*Neq; te mei miſeret; ſurge, & ſepeli natum.*

hosce, inquam, verſus, *preſſis & flebilibus modis* recitatos, *tota theatra dolore & mæſtitiâ implere.* Verùm, ut hoc ritè fiat, differentium vocum ſuavitas quædam neceſſaria eſt pro natura rerum, de quibus ſermo eſt, & vocum, quibus res efferuntur; quod vivâ voce faciliùs, quàm ſcri-

pto

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00067 DFG

pto monſtrari poteſt. Sed ad alios affectus pergamus, & videamus, quomodo Orator noſter eos moveat.

§. VI. Quoties alterum ſe magnifacere & æſtimare oſtendere ac conteſtari voluerit, excitato & magnifico vocis ſono id faciendum eſt, ut, cùm Cicer. pro L. Manilia, *Nunc verò*, inquit, *cùm ſit unus Cn. Pompejus, qui non modò eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperârit: quæ res eſt, quæ cujusquam animum in hac cauſa dubium facere poſſit? Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc nomine ſcientior unquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui è ludo, atq; pueritiæ diſciplina, bello maximo atq; acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atq; in militiæ diſciplinam profectus eſt? qui extremâ pueritiâ miles fuit ſummi imperatoris? ineunte adoleſcentiâ maximi ipſe exercitûs imperator? qui ſæpiùs cum hoſte conflixit, quàm quisquam cum inimico concertavit? plura bella geſſit, quàm ceteri legerunt? plures provincias confecit, quâm alii concupiverunt? cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris, non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis: non offenſionibus belli, ſed victoriis: non ſtipendiis, ſed triumphis eſt erudita? quod deniq; genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? Civile Africanum, Transalpinum, Hiſpanienſe, miſtum ex civitatibus, atq; ex bellicoſiſſimis nationibus, ſervile, navale bellum, varia & diverſa genera & bellorum, & hoſtium, non ſolùm geſta ab hoc uno, ſed etiam confecta, nullam rem eſſe declarant, in uſu militari poſitam, quæ hujus viri ſcientiam fugere poſſit.* Hæc elegantia verba voce humili & ſono languido ſi pronuncias, videbis, nihil illis frigidius, nihilque minùs dignum eloquentiâ Ciceronis, aut Pompeji gloriâ eſſe poſſe. Aſt verò ſi

ea

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00069

ea voce ipſorum magnificentiæ reſpondente quaſi animaveris & vivida feceris, in ſuo ſplendore apparebunt, & ipſe Cicero mille ſexcentis poſt fata annis veluti præſens ſens ea proferre videbitur.

§. VII. Ab admiratione ad illius contrarium progredior, & dico, ſi Orator contemtum alicujus indicare, eumque porrò in contemtum apud auditores ſuos deducere voluerit, neceſſe eſt fiat tono faſtidioſo, ſine omni elevatione & contentione vocis: ut cùm Cicero Cæcilio, qui ipſi præferri volebat, in Verrina accuſatione dicit: *Tu* p. 35. b. v. 60.
*verò, Cæcili, quid potes? quo tempore, aut qua in re, non* ed. Frob
*modò ſpecimen cæteris aliquod dediſti, ſed tute tui periculum feciſti? In mentem tibi non venit, quid negotii ſit cauſam publicam ſuſtinere? vitam alterius totam explicare, atq; eam non modò in animis judicum, ſed etiam in oculis, conſpectuq; omnium exponere: ſociorum ſalutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem judiciorum defendere? Cognoſce ex me, quoniam hoc primum tempus diſcendi nactus es, quàm multa eſſe oporteat in eo, qui alterum accuſet; ex quibus ſi unum aliquod in te cognoveris: ego jam tibi ipſe iſthoc, quod expetis, meâ voluntate concedam. &c. Tu ipſe quemadmodum exiſtimes, vide etiam atq; etiam: & tute collige, & qui ſis, & quid facere poſſis conſidera. Putasne,* p. 36. n. XI. b
*te poſſe de maximis acerbiſſimisq; rebus, cùm cauſam ſocio-* v. 46.
*rum, fortunasq; provinciæ, jus populi Romani, gravitatem judicii, legumq; ſusceperis, tot res, tàm graves, tàm varias, voce, memoriâ, conſilio, ingenio, ſuſtinere? &c. Tu* v. 41.
*horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras: & ſi quid ex vetere aliquâ oratione, Jovem ego optimum maximum: aut vellem, ſi fieri potuiſſet, judices: aut aliquid ejusmodi, ediſcere potueris, præclarè te paratum in judicium venturum arbitraris. Ac, ſi tibi nemo reſponſurus eſſet, tamen ipſam*



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00069 DFG

XI. p. 37. a. 50. *cauſam, ut ego arbitror, demonſtrare non poſſes. Nunc ne illud quidem cogitas, tibi cum homine diſertiſſimo, & ad dicendum paratiſſimo, futurum eſſe certamen: quicum modò diſſerendum, modò omni ratione pugnandum certandumq; ſit? Cujus ego ingenium ita laudo, ut non pertimeſcam: ita probo, ut me ab eo delectari faciliùs, quàm decipi putem poſſe. &c. Te verò, Cæcili, quemadmodum ſit eluſurus, quàm omni ratione jactaturus, videre jam videor: &c. qui tibi æſtus, qui error, quæ tenebræ, dii immortales, erunt, homini minimè malo?* Hiſce verbis, contemtum merum habentibus, conabatur perſuadere, hominem illum eſſe minimè dignum eo, quod affectabat, quod etiam re verâ perſuaſit. Aſt, ſi ea verba pronunciaſſet cum contentione vocis & indignatione quâdam, contrarium ejus, quod intendebat, feciſſet. Ita enim confeſſus fuiſſet, ſe quidem verbis illum contemnere; attamen re ipsâ eum ſuâ irâ dignum exiſtimare, & quem omnibus viribus oppugnaret, tanquam hoſtem formidabilem.

§. VIII. Prudens Orator hoc evitare nôrit, cùm in contemtum aliquem adducere volet, aut ridiculum adverſarii argumentum irridere. Ipſe riſui ſe exponeret, ſi rationi frigidæ reponeret aliquid ſerium & grave, idque cum aliquo calore: ſi ita motus loqueretur de eo, quod non niſi riſum meretur, ſi omni eloquentiæ ſuæ robore & totâ voce uteretur contra homines & argumenta nullius momenti: ſi Herculis clavam ad vermem necandum adhiberet, quem pede contriviſſe ſufficere poterat.

§. IX. Quòd ſi verò contingat, ut Oratori de injuria atroci ſibi illata conqueri neceſſum ſit, ut Demoſthenes injuriâ à Midia in feſto Saturnaliorum affectus, longè alio utetur ſermone, ſuumque dolorem voce ſublatâ, vehementiæ & ardoris plenâ exprimere debet, nec aliter ſine

injuria

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

injuria ſibi ipſi illata facere poſſet. Si enim frigidè de ea loqueretur, rem ita ſe habere, aut injuriam ipſius ad animum revocâſſe nemo crederet, & quicquid de ea dicere poſſet, inutile ipſi foret apud judices. Ideò Demoſthenes, cùm quis verberatus, ut cauſam ſuam apud judices agere, rogâſſet, remque ſimplici voce ſine commotione, ut acta, innuiſſet; non credo, inquit, ea, quæ dicis. Alter, cùm magnâ contentione animi & vocis repetiiſſet, quæ dixerat; jam, inquit Demoſthenes, credo, poſtquam vocem vapulantis adhibuiſti, ut ipſi monſtraret verberato, quo vocis tono dicere deberet, ſi fidem ſibi dicendo facere vellet. Et Cicero in Oratione pro Gallo contra Calidium hoc utebatur argumento, qui, ut ſuprà à nobis jam dictum, in re ad ipſum ſummoperè pertinente & magni momenti, abſque commotione & contentione aut fervore loquutus fuerat: *Tu iſtuc, M. Calidi, niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cùm iſtâ eloquentiâ alienorum hominum pericula defendere acerrimè ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces & querelas ſolet.* Bruto p. 181, a. 25.

§. X. De variatione vocis juxta affectus hoc unum adhuc addam: quando poſt magnam contentionem ad tranquillitatem redimus, manifeſtum eſt etiam vocem eſſe ſubmittendam, ut cùm Cicero in Oratione pro Cælio: *Sed revertar ad crimen; etenim hæc facta illius clariſſimi ac fortiſſimi viri mentio & vocem meam fletu debilitavit, & mentem dolore impedivit.* p. 377. a. 14.

§. XI. Et ne quid eorum, quæ ad rem tanti momenti, qualis eſt in pronunciatione vocis variatio, utilia eſſe poſſunt, præteream, addo, quòd ad facultatem aptè pronunciandi & vocem ritè moderandi utiliſſimum ſit ſæpe clarâ voce legere Comœdias, Tragœdias, Dialogos, aut alia



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00071 DFG

opera illorum Scriptorum, quorum ſtilus quàm proximè ad Dramaticum accedit.

## Cap. IX.

### *De vocis, pro diverſa Orationis parte, variatione.*

*§. 1. Quâ voce in Exordio utendum. Exempla ex Ciceronis & Chryſoſtomi ſcriptis.*
*2. Propoſitio & Narratio quali voce proferenda.*
*3. Circa Confirmationem & Confutationem quomodo vox ſit formanda.*
*4. Peroratio & Concluſio quomodo pronuncianda.*

§. I.

QUemadmodum orationis partium non eſt eadem ratio, ſed naturâ inter ſe valdè differunt; ita etiam earum pronunciatio & actio debet eſſe diverſa. In *Exordio* ſit pronunciatio & vox perorantis ſubmiſſa & modeſta, tum, quia illa auditoribus gratiſſima eſt modeſtia, ex qua conjecturam faciunt, ſe magni fieri ab Oratore, & honore dignos haberi: tum, quia Orator vires laterum parcè diſpenſare & non niſi pedetentim incaleſcere debet. Alioquin citiùs deficiet ſpiritus, & reliquis orationis partibus, firmiora latera flagitantibus, neceſſarium robur ſuppeditare non poterit. Neque tamen volo, ipſum adeò ſubmiſsè ordiri, ut à paucis, & quàm proximè adſtantibus tantùm audiri queat. Sed potiùs arbitror, illum jam tum & deinceps debere tàm clarè & diſtinctè loqui, ut nemo ſit in toto auditorio, qui, ſi attendat, facilè eum intelligere nequeat. Fruſtra aliàs verba fiunt, & injuria auditoribus infertur.

tur. Qua in re celeberrimum quendam Eccleſiaſtem errare vidi, qui tàm ſubmiſsè incipiebat dicere, ut ex numeroſo Eccleſiæ cœtu vix decem aut duodecim eum intelligere poſſent; deinde autem vocem ita extollebat, & nimium incaleſcens ita vociferabatur, ut aures multorum clamore offenderet & obtunderet; volo duntaxat, Exordium debere eſſe tono ſuave & tranquillum, atque aliquot clavium menſurâ ſubmiſſiùs proferendum, quàm reliquæ orationis partes. Attamen ab hac regula excipio Exordia illa inopinata, quæ *ex abrupto* vocari ſolent, quale eſt illud Ciceronis in Catilinam primæ: *Quousq; tandem abuteris, Catilina, patientiâ noſtrâ? Quamdiu etiam furor iſte tuus nos eludet? quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia?* Et illud Chryſoſtomi, quo uſus eſt (ſi fides habenda Socrati) in Sermone, quem habuit contra Imperatricem Eudoxiam, quæ, poſtquam ipſum officio removeri & in exilium abigi curaverat, iterum ejicere eum, poſtquam rediturus erat, laborabat; quia choreas & ſaltationes, quæ Sacr. Hiſt. Eccleſ. l. 6. c. 16. ad S. Sophiæ templum in dedicatione ſtatuæ illius Imperatricis habitæ fuerant, publicè perſtrinxerat: *Herodias denuò inſanire, denuò commoveri, denuò ſaltare pergit: denuò caput Joannis in diſco accipere quærit.* Exordium homiliæ, quam habuit ad populum Antiochenum ſtatim à deturbatione ſtatuarum Imperatoris & Imperatricis, ejusdem quoque eſt rationis: *Quid dicam? quâ ratione verba ad vos faciam? Plorandi, non loquendi; gemendi, non perorandi; Deum precibus invocandi, non ad populum orationem habendi nunc tempus eſt.* Item illud ad ejusdem urbis incolas de terrore panico, quo in concione perculſi, & per ethnicum quendam prætorem liberati erant: *Gubernatoris quidem noſtri curam & ſollicitudinem laude dignam exiſtimavi, quòd civitatem in tumultu, vosq; omnes de fuga jam deliberantes*

*videns, huc ingreſſus animos veſtros erexit & benè ſperare fecit: ſed tamen pudore & rubore ſuffuſus fui propter vos, quòd, poſtquam tot tamq; prolixis edocti orationibus eſtis, ejus tamen, qui extra Eccleſiam vivit, inſtructione indiguiſtis. Terram optavi dehiſcere mihi, meq; devorare, cùm illum vobis oratione ſuâ jam animos reddere, jam intempeſtivum & ab omni ratione alienum metum exprobrare audivi. Non enim vos ab illo doceri oportebat, ſed potiùs veſtrum fuiſſet omnes erudire infideles. &c. Quo vultu deinceps intuebimur infideles nos, qui tàm pavidi & meticuloſi ſumus? Quo ore alloquemur illos & de ingruentibus malis animum non abjicere jubebimus, qui in hac trepidatione quovis lepore timidiores nos demonſtravimus? Et quid faceremus? inquiunt, homines ſumus. Atqui propter id ipſum non ita turbari oportuit, quia homines, non verò bruta ſumus. Illa enim ſtrepitu quolibet terrentur, cùm ratione, quâ metum abigere queant, deſtituantur. Tu verò ratione & conſilio decoratus quomodo in brutalem incidis vecordiam?* Talia exordia, à vehementi animi affectu incipientia, rara ſunt, nec niſi in ſingularibus occaſionibus uſurpanda. Sed tamen, ſi utendum illis ſit, neceſſariò voce commotâ, pro ratione illius affectûs, doloris, aut iræ, qui nos coëgit ea adhibere, pronuncianda eſſe, in aprico eſt.

§. II. Quantum ad *Propoſitionem* aut *Narrationem*, non opus eſt commotione, neque vocis elevatione; quia ibi nil agitur, niſi ut auditores, vel judices rectè informentur, ut, de qua re agatur, penitùs intelligant. Satis eſt *Propoſitionem* paulò altiore voce proponi, quàm *Exordium*; id tantùm laborandum eſt, ut ſit articulata probeque diſtincta; quia ſemina & fundamenta totius orationis & omnium argumentorũ ſequentium continet, mirum quantum intereſt illam rectè intelligi & animo percipi. Omnino

no

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00074

no diverſâ quidem ratione vocis, pro diverſa natura & qualitate actionum & caſuum, qui proponuntur, utendum eſt; ſed vehementia & contentio vocis hîc nondum tempeſtiva eſt, quippe quæ partibus ſequentibus eſt reſervanda.

§. III. *Confirmatio* cùm cauſæ argumenta contineat; *Refutatio* autem in reſponſione adverſariorum rationibus oppoſitâ cùm conſiſtat, ipſum orationis noſtræ robur hîc impendendum: & quia ibi animus noſter maximè commotus eſt, & luculentiſſimas orationis figuras adhibemus, ideò etiam hîc maximâ vocis contentione opus, & pronunciatio maximè varianda eſt.

§. IV. Reſtat *Peroratio*, inter quam & præcedentem orationis partem commodè Orator pauſam parvam faciat, dein incipiat veluti denuò, voce paulò graviore & diverſâ ab illa, quâ ultimam periodum pronunciavit; excitatiore voce, lætiore & magis magnificâ atque triumphante pergat, confidens cauſæ ſuæ bonitati, quam ſatis demonſtratam credit, auditoribus, quos de jure ſuo ſatis plenèque edoctos autumat, ſe planè ſatisfeciſſe exiſtimans. Quando denique ad *Concluſionem* orationis pervenit, ſicut navis è longinquo itinere, quæ ex periculis quàm plurimis evaſit, expanſis velis ſummo cum applauſu & gaudii clamore portum intrare ſolet.

## CAP. X.

### *De vocis, ratione figurarum, variatione.*

*§. 1. Figuræ Orationis elevatâ voce proferendæ ſunt.* | *2. Exclamationis exemplum ex Ciceronis Oratione.*



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00075 DFG

3. *Jurisjurandi exemplum à Demoſthene ſumtum.*
4. *De Proſopopœia.*
5. *De Apoſtrophe.*
6. *De Dialogiſmo.*
7. *De Epimone ſ. Inſtantia.*
8. *De Parrheſia.*
9. *De Gradatione.*
10. *De Apoſiopeſi.*
11. *De Subjectione.*
12. *De Antitheſi.*
13. *De Anadiploſi.*
14. *De Anaphora.*
15. *De Epizeuxi.*

## §. I.

QUia Figuræ orationis lumina ſunt, illam aut varietate, aut ſuavitate, quæ in ſingulis eſt, gratiorem reddentes; ideò alio tono, per exclamationem à reliqua oratione differente, pronunciari amant. Ipſum Figuræ nomen hoc docet, & nihil eſt magis frigidum atque ridiculum, quàm ſi illa non accentu magis elevato & excitato, quàm in reliquis, pronunciatur.

§. II. Namque, exemplo ut rem declarem, cùm Cicero in Oratione pro Cluentio dicebat de Saſſia, quæ genero, filiæ ſuæ erepto, nupta erat: *O mulieris ſcelus incredibile, &, præter hanc unam, in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! O audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minùs vim Deorum, hominumq; famam, at illam ipſam noctem, facesq; illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes deniq; ipſos, ſuperiorum teſtes nuptiarum?* Si hæc verba ſine vocis elevatione pronunciâſſet, nonne ipſis omnē vim & venuſtatem abſtuliſſet? Nonne tunc ſatiùs fuiſſet, illum ſimpliciter dixiſſe; *ſatis illa audax & impudica fuit, quæ genero ſuo nupta eſt*: in quo nihil fuiſſet abſurdi; quàm hæc verba exclamationis ſine exclamatione protuliſſe?

§. III. Tantundem de Jurejurando dico, & imprimis quoties aliquid ſingulare & extraordinarium accidit; quem-

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00076 DFG

quemadmodum illud Demoſthenis in Oratione de Cteſiphonte, quod ab antiquis tantoperè fuit æſtimatum: *Fieri non poteſt, Athenienſes, ut erraveritis, - - - non; teſtor, majores noſtros, qui in Marathone pro aliis dimicârunt, & qui ad Plateas in acie ſteterunt, & qui ad Salaminem navale prælium commiſerunt, & qui ad Artemiſium, & multos alios, qui in publicis monumentis ſepulti jacent, fortes viros.* Quæ verba procul dubio tono elevato & magna vocis cum contentione pronunciavit; aliàs nihil illis fuiſſet frigidius. De Corona p. 343. ed. Wolf.

§. IV. In *Proſopopœia*, ipſa rerum natura docet, primò vocem eſſe mutandam, ut appareat, non te, ſed alium, qui introducitur, loqui: deinde variandam eſſe vocem pro diverſitate perſonarum, quarum orationes proferuntur. Exempli gratiâ, in duabus illis Proſopopœiis, quibus Cicero in Oratione pro Cælio uſus eſt, una venerabilis ſenis Appii, altera juvenis illius flagitioſi Claudii, quis non videt, quàm differente ſono illas pronunciare oportuerit? quàm illa gravis & ſevera; hæc verò quàm remiſſâ & effæminata fuerit? Utramque ſi in ipſa oratione legeris, facilè de hac re judicabis. Quòd ſi quis apud ſe verba faciens introducatur & deliberans, quid faciendum ſibi, id voce ſubmiſsâ fieri oportet, quippe qui ſibi ſoli loquitur, non ut ab aliis audiatur. Exemplum nobis occurrit ejusdem Oratoris in oratione pro Cluentio, ubi de Staleno, *Cùm domi ſuæ*, inquit, *miſerrimis in locis & inaniſſimis tantum nummorum poſitum videret, ad omnem malitiam & fraudem verſare mentem ſuam cœpit: Demne judicibus? mihi igitur ipſi, præter periculum & infamiam, quid quæretur? Nihil excogitem, quamobrem Oppianico damnari neceſſe ſit? quî tandem? nihil enim eſt, quod fieri non poſſit. &c.* c. 26. Et cùm in illa, quam pro Quintio habuit: *Ne ipſe quidem te conſuluiſti; ne hæc quidem tecum locutus es: Horæ duæ* c. 16.

 *fuerunt.*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00077 DFG

*fuerunt. Quintius ad vadimonium non venit. Quid ago? &c.* Verba hæc: *Ne ipſe quidem te conſuluiſti; ne hæc quidem tecum locutus es*, voce clariſſimâ proferenda, quaſi per Apoſtrophen; ſed ea, quæ ſequuntur, ſubmiſſiore, tanquam ſecum tacitè loquentis & cogitantis.

§. V. In *Apoſtrophe* imprimis perſona, ad quam verba noſtra directa ſunt, reſpicienda eſt, & finis, propter quem dicimus, ut vox utrique accommodetur. Exempli gratiâ, quando res inanimatas alloquimur, quaſi cum ſurdaſtris res eſſet, ita loquendum, id eſt, ſolito magis vox elevanda. Ita ſine dubio Cicero fecit in illa eleganti Apoſtrophe in Oratione pro Milone: *Vos jam, Albani tumuli, atq; luci, vos, inquam, imploro, atq; teſtor, vosq; Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ, & æquales, quas ille præceps amentiâ, cæſis proſtratisq; ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat. &c.* Idem dico de *Apoſtrophe ad Deum.* Nam, ut vocem tollimus, quum ab iis, qui è longinquo nos audiunt, intelligi volumus; ita, ſi Deus alloquendus eſt, cujus thronus in cœlo, voce majore id efficiendum, quàm ſi homines, in his terris nobiscum agentes, alloquamur. Hoc igitur pronunciandi modo legendæ ſunt illæ Apoſtrophæ, quæ in Perorationibus Catilinariæ primæ, Verrinæ ultimæ, & Panegyrici Plinii ad Trajanum reperiuntur.

§. VI. In *Dialogiſmo*, cùm duæ perſonæ colloquentes introducuntur, vox mutanda eſt, quaſi duobus ſibi reſpondentibus hominibus. Exemplum nobis eſt in eo, quo Cicero in Oratione pro Plancio uſus eſt, ubi Laterenſis introducitur querens, Plancium ſibi in Ædilitatis ambitu à populo prælatum eſſe, & Plancius contrà Laterenſi re-
c. 4. ſpondere fingitur: *Malè judicavit populus: At judicavit. Non debuit: At potuit. Non fero: At multi clariſ-*

*ſimi*

*ſimi & ſapientiſſimi cives tulerunt. &c.* Et ille in Oratore pro Flacco: *Audiamus igitur Sextilium. -- Non deduxit, inquit, Sextilium. Cedò tabulas. Non deportavi. Fratres ſaltem exhibe. Non denunciavi. Quod ergò unus Aſclepiades — ſine tabulis, ſine auctoritate jecerit, id nos quaſi crimen, aut teſtimonium pertimeſcamus?* In hujusmodi orationibus obſervandum eſt, ut pronuncietur reſponſio tono notabiliter differente ab eo, quo interrogatio, vel objectio eſt prolata.

§. VII. In Figurâ, quam Græci *Epimonem* vocant, quam appellare poſſis *Inſtantiam*, quâ adverſarium premit & urget Orator, uni eidemque cogitationi & mentis conceptui quidem inhærens; ſed tamen diverſis verbis eam exprimens, donec eum commoverit & pudore affecerit, utendum eſt voce vivâ, acri, & inſultante, ut cùm Cicer. pro Ligar. *Quid, Tubero, diſtrictus ille in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo, commoveri videtur adoleſcens, ad me revertar.* Et quando Craſſus in heluonem Brutum declamans, eodem momento Juniæ, matronæ ex familia ipſius defunctæ, corpus per forum ad funus portari vidit, occaſionem cepit ita illum diſſolutum alloquendi: *Brute, quid ſedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti ſtudere? Patrimonione augendo? at id non eſt nobilitatis. Sed fac eſſe, nihil ſupereſt; libidines totum diſſipaverunt. An juri civili? eſt paternum. Sed dicet, te, cùm ædeis venderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe. An rei militari? qui nunquam*

Lib. II. de Oratore c. 55.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00079 DFG

*caſtra videris? An eloquentiæ? quæ nulla eſt in te: & quicquid eſt vocis, ac linguæ, omne in iſtum turpiſſimum calumniæ quæſtum contuliſti. Tu lucem adſpicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium eſſe conſpectu? tu illam mortuam, tu imagines ipſas non perhorreſcis? quibus non modò imitandis, ſed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquiſti.* Cui Figuræ magnus ille Orator, Ciceronis indicio, *geſtu omni imminente, ſummâ gravitate & verborum celeritate* ſubſidium addidit.

§. VIII. In *Parrheſia*, ſeu omnia dicendi libertate, etiam ubi res periculoſa videtur, voce clarâ & ſublatâ utendum eſt, quemadmodum in his Ciceronis verbis ex Oratione pro Ligario: *O clementiam admirabilem, atq; omni laude, prædicatione, literis, monumentisq; decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe; nec tuas tacitas cogitationes extimeſcit; nec, quid tibi de alio audienti, de ſe ipſo occurrat, reformidat. Vide, quàm non reformidem; vide, quanta lux liberalitatis & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur? Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nullâ vi coactus, judicio ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te.* Idem faciendum Advocato arbitror, qui clauſis foribus in ſecreto ſenatu orare cogitur, quando tale quid profert, quod omnibus innoteſcere optat, quemadmodum celebris aliquis cauſidicus in Senatu Pariſienſi olim dixit: *Aut hæc hora, quâ ego audior in Senatu, Galliam à monſtris, ad illam diſcerpendam natis, liberabit: aut verò, ſi fraudes & aſtutiæ, ſi fama ſeminata ea defendit, dico clarè, (fores quidem hujus conclavis claudi juſſerunt; ſed vox mea in quatuor usq; totius hujus regni angulos penetrabit; quin & eam ego poſteritati conſecrabo,*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00080 DFG

*ſecrabo, quæ ſine metu & amore judicabit, quinam fuerint meliores Galli, & quàm maximè deſiderârint libertatem ei talem, qualem à patribus accepimus, relinquere) clarè igitur dico, &, quantum poſſum, voce contendo, plus mali, quàm unquam antebac nobis ab illis jam imminet.* Ubi facilè eſt animo cogitare, quâ mentis commotione, & quantâ vocis contentione hæc dicta fuerint.

§. IX. In *Gradatione*, cùm oratio ſingulis commatibus & membris incrementa ſumit, manifeſtum eſt, vocis contentionem iisdem gradibus augeri debere, ut in illa Ciceronis in Verrem ultima: *Facinus eſt vincire civem Romanum, ſcelus verberare, propè parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?* Et in hac, ex quadam Svaſoria ad Pariſienſem civitatem habita poſt obitum Henrici III. *Regem tuum adeò clementem tolerare non potuiſti. Quid dico tolerare? longè pejus eſt. Urbe, domo, lecto ſuo ejeciſti. Quid ejeciſti? imò perſequuta es. Perſequuta es? imò trucidâſti eum, ejusq; occiſorem in Sanctorum numerum retuliſti, & applauſum atq; gaudium de morte ejus, accenſo igne lætitiæ, conteſtata es.*

§. X. In *Apoſiopeſi*, ſeu *Reticentia*, demittenda eſt vox per unam toni clavem, & antecedentia verba altiùs ſunt declamanda; ut in illis Demoſthenis pro Cteſiphonte, ſeu de Corona: *Nam de me dicere poſſum; ſed nihil acrius in hoc exordio dicam, quanquam nemo non videat, illum ex mera petulantia me accuſâſſe!*

§. XI. In *Subjectione*, ubi pluribus interrogationibus, & ad ſingulas reſponſionibus agitur, interrogatio aliâ, & reſponſio aliâ voce eſt proferenda, ſive illam altiùs, hanc verò ſubmiſſiùs, ſive vice verſâ proferas; ut cùm Cicero in Oratione pro Flacco dicit: *Quem alium appellem? quem obteſter? quem implorem? Senatumne? at is ipſe*



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00081

*auxilium petit à vobis, & confirmationem auctoritatis ſuæ veſtræ poteſtati permiſſam eſſe ſentit.* Et in Oratione pro Sulla: *Cùm omnia ordinarentur, inſtituerentur, pararentur, ubi fuit Sulla, Corneli? Num Romæ? Immò longè abſuit. Num in iis regionibus, quò ſe Catilina inferebat? multò etiam longiùs? Num in agro Camerti, Piceno, Gallico: quas oras maximè quaſi morbus quidam illius furoris pervaſerat? nihil verò minùs. Fuit enim, ut jam antè dixi, Neapoli: fuit in ea parte Italiæ, quæ maximè eâ ſuſpicione caruit.*

§. XII. In *Antitheſi*, ubi contraria ſunt diſtinguenda, prius alio tono pronunciandum, & poſterius alio; & quidem hoc altiùs, quàm illud, ut in hoc exemplo IIdæ in Catilinam: *Si ipſas cauſas, quæ inter ſe confligunt, contendere velimus, ex eo ipſo, quàm valdè illi jaceant, intelligere poſſumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: deniq; æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: poſtremò copiæ cum egeſtate: bona ratio cum perdita: mens ſana cum amentia: bona deniq; ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. In hujusmodi certamine ac prælio nonne, etiamſi hominum ſtudia deficiant, Dii ipſi immortales cogent ab his præclariſſimis virtutibus tot & tanta vitia ſeparari?*

§. XIII. In figura, quam Græci *Anadiploſin*, Latini *Reduplicationem* appellant, quando eadem vox immediatè repetitur, ut: *Fuit, fuit iſta quondam in hac Republica virtus, ut &c. Senatus hæc intelligit, conſul videt: hic tamen vivit. Vivit? imò verò etiam in Senatum venit. &c. Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confir-* (I. Catilin. 1.)

mandam

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00082

*mandam audaciam. &c. Annum jam tertium & viceſimum* Pro L. Manil. c. 3.
*regnat; & ita regnat, ut ſe non Ponto occultari velit.* Se-
cundâ vice verba illa, quæ repetuntur, pronuncianda ſunt
clariore & robuſtiore voce, quàm primâ factum eſt.

§. XIV. In *Anaphora*, cùm idem verbum in initio
plurium periodorum, aut plurium membrorum ejusdem
periodi repetitur, ut in Oratione pro Lege Manilia: *Te-* c. 11.
*ſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor, L. Sulla, hujus virtute
& ſubſidio confeſſus eſt liberatam. Teſtis eſt Italia, quam
multis undiq; cinctam periculis, non terrore belli, non celeri-
tate conſilii explicavit. Teſtis eſt Africa, quæ magnis op-
preſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundavit.
Teſtis eſt Gallia &c.* Et in Philippica ſecunda: *Non pla-* c. 5.
*cet M. Antonio conſulatus meus: At placuit P. Servilio,
ut eum primùm nominem ex illius temporis conſularibus, qui
proximè mortuus eſt: placuit Q. Lutatio Catulo, cujus ſem-
per in hac Republica vivet auctoritas: placuit duobus Lu-
cullis, M. Craſſo, Q. Hortenſio, C. Curioni, M. Lepido,
C. Piſoni &c.* Vox, quæ repetitur, ſemper eodem tono
pronuncianda eſt; alio tamen, quàm quo reliqua profe-
runtur verba.

§. XV. Sic etiam in *Epizeuxi*, quâ eadem vox in
fine plurium periodorum iteratur; ut in eadem Philippi-
ca: *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos: inter-* c. 23.
*fecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives: eos quoq; eri-
puit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt:
Afflixit Antonius. &c.* Aut cùm plures ſimul voces
repetuntur; ut in Philippica ſeptima: *Quaſi verò, cùm C.* c. 3.
*Cæſari meritos illi quidem honores, & debitos, ſed tamen ſin-
gulares & immortales decreviſtis, unam ob cauſam, quòd
contra M. Antonium exercitum comparaviſſet, non hoſtem
Antonium judicaveritis: nec tum hoſtis eſt à vobis judicatus
Antonius,*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00083 DFG

*Antonius, cùm laudati auctoritate veſtrâ veterani milites, qui Cæſarem ſecuti eſſent: nec tum hoſtem Antonium judicaviſtis, cùm &c.*

## CAP. XI.

### *De periodorum & vocum ſingularum pronunciatione.*

§. 1. *Periodi Rhetoricæ quæ partes.*

2. *Periodus, meris membris & commatibus conſtans, quomodo pronuncianda.*

3. *Orator operam det, ut longiore ſpiritu quandoq; pronunciare poſſit.*

4. *De periodis, quæ uno ſpiritu pronunciari nequeunt.*

5. *Spiritus dictæ, periodi, quomodo pronuncianda.*

6. *Quid obſervandum in pronunciandis periodi Rhetoricæ membris.*

7. *Periodo abſolutâ quieſcendum paulùm.*

8. *In periodo incipienda quid obſervandum.*

9. *Quando voci parcendum, ut extolli mox queat.*

10. *De pronunciatione ipſarum vocum.*

11. *Conſilium pronunciationis elegantis diſcendæ.*

12. *Emphaticis verbis voce momentum addendum.*

13. *In fine periodorum quid obſervandum.*

§. I.

PEriodus duabus plerumque abſolvitur partibus potioribus, per particulas cauſales, copulativas, conditionales, comparativas, relativas aut adverſativas Grammaticis dictas conjunctis, quamvis illæ partes non æqualis ſint menſuræ.

§. II. Reperiuntur enim membra valdè brevia, quorum ſingulæ partes ſunt ſimplices, nec niſi in una conſiſtunt

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00084 DFG

ſiſtunt propoſitione, ut ſunt illa, quæ reliquit *Malberbe: Mortuus eſt juvenis, ſed mortuus eſt felix. Amici ipſius non diu eo ſunt gaviſi, aſt nullum ex eo niſi moriente dolorem perceperunt. Seculi hujus dulcedine parùm frui potuit; ſed nec ejus amaritudinem guſtavit. Non multum viæ confecit; ſed ſuper floribus ſemper inceſſit. Quicquid vita hæc aſperi, adverſi & moleſti habet, id in illa parte ætatis eſt, quam ipſe non attigit.* Hæ periodi non ſolùm uno ſpiritu pronunciari poſſunt, ſed etiam vix poſſunt aliter. Sunt præterea aliæ prolixiores, quales ab eodem Auctore relictæ ſunt hæ: *Mundum talem eſſe locum agnoſcite, ubi, donec omnia perdideritis, indies quædam amittitis; & talibus meditationibus animæ veſtræ præjudicium facite, quæ, ex cœlo originem ſuam habens, ex eorum eſt numero, quæ olim gratiam eò redeundi obtinebunt.* Tales periodi uno ſpiritu ab eo, qui valet lateribus & pulmonibus, pronunciari poſſunt, eoq́ue annitendum eſt pro virili, quippe eo modo declamata periodus majorem vim & elegantiam habebit, quàm ſi pluribus reſpirationibus pronunciaretur.

§. III. Hac de re omnibus modis contendendum eſt futuro Oratori, & ſtudio atque exercitio multo laborandum, ut longum ſpiritum acquirat. Sed non niſi per gradus eò pervenitur; quia natura non ita ſaltu à brevi ad longum ſpiritum procedit. Eſt quidem naturæ donum hîc neceſſarium; ars tamen non parum quoque confert. Legimus in Bibliotheca Photii, Demoſthenem ſpiritûs anguſtia naturæ vitio laborantem vidiſſe, ad oratoriam facultatem firmiora latera & ſpiritum longiorem eſſe neceſſarium, Neoptolemo itaque Comœdo mille drachmas dedit, ut ſeſe vires ad orationes in publico habendas neceſſarias acquirendi artem doceret: crebroq́ue exercitio voti compos factus eſt. Eodem modo exerceri hodieque nos

Cic. I. de Orat. c. 61.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00085 DFG

debemus, nec tempori, nec operæ aut labori ulli parcendo.

§. III. Aliud quoque periodorum genus eſt, quæ uno ſpiritu pronunciari non poſſunt, ſed reſpirandum eſt ſemel iterumque, antequam abſolvantur; qualis hæc S. Bernhardi: *Sumenti cibum, & non digerenti, pernicioſum eſt ei, cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores & corrumpit corpus, & non nutrit: ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quosdam artus animæ, mores ſcilicet atq; actus transfuſa atq; digeſta, quatenus ipſa de bonis, quæ noverit, vitâ atteſtante & moribus, bona efficiatur: non illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus converſus in pravos noxiosq; humomores?* Hujus periodi prior pars ſine reſpiratione proferenda eſt; ſi verò poſterior eodem modo pronunciari nequeat, pausâ exiguâ factâ reſpirandum potiùs, quàm ut ſpiritus deficiat, quod eſſet ingratiſſimum: dummodo locis quàm convenientiſſimis ille ſpiritus reſumatur, nempe poſt colon, aut ſaltem poſt comma; aliter ſi fiat, moleſtiſſima foret recitatio.

Serm. 36. ſuper Cantica.

§. V. Periodorum datur & aliud genus, quas *Spiritus* appellant Rhetores, non habentes flexum & compoſitionem, qualem eæ, quæ propriè dicuntur periodi; ſed quæ duntaxat magno membrorum numero, uno eodemque modo propoſitorum, conſtant, qualis hæc ejusdem Auctoris: *In talibus* (Prælatis) *requieſcet Spiritus tuus, qui præter Dominum timeant nihil, nihil ſperent niſi à Deo. Qui adventantium non manus attendant, ſed neceſſitates &c. Qui legatione pro Chriſto fungi, quoties opus erit, nec juſſi renuant, nec non juſſi affectent &c. Qui miſſi poſt aurum non eant, ſed Chriſtum ſequantur. Qui quæſtum legationem* non

De Conſiderat. l. V. c. 4.

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00086

*non æſtiment, nec requirant datum, ſed fructum. Qui regibus Joannem exhibeant, Ægypptiis Moſen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Heliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum. Qui vulgus non ſpernant, ſed doceant: divites non palpent, ſed terreant: pauperes non gravent, ſed foveant: minas principum non paveant, ſed contemnant. Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant. Qui Eccleſias non ſpolient, ſed emendent. Qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ provideant ſuæ, nec invideant alienæ. Qui orandi ſtudium gerant, & uſum habeant, ac de omni re orationi plùs fidant, quàm ſuæ induſtriæ, vel labori. Quorum ſermo ædificatio, quorum vita juſtitia, quorum præſentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant, non verbo, ſed opere; reverendos exhibeant, ſed actu, non faſtu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros durè redarguant, malignantes coërceant, retributionem ſuperbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio crucifixi ſe, vel ſuos ditare feſtinent, gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui de tuo deniq; ſpiritu illorum inſtar ſeptuaginta Moyſis accepiſſe cernantur, per quem, ſive abſentes, ſive præſentes, contendant placere tibi, placere Deo. Qui ad te redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati: ſimul & gloriantes, non quòd curioſa, ſeu pretioſa quæq; terrarum attulerint, ſed quòd reliquerint ducem regnis, legem barbaris, quietem monaſteriis, Eccleſiis ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Hujusmodi periodi non opus eſt ut violenter pronuncientur; ſed ſpiritus, quoties opus, reſumi poterit. Singulis enim commatibus, aut membris reſpirare Orator poteſt, cùm



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00087 DFG

nulla ſit cauſa, quare poſt unum magis, quàm poſt alterum tantillùm ceſſet, ut reſpirare poſſit. Et tantum de Oratoris reſpiratione dictum eſto in omni periodorum genere.

§. VI. De cætero etiam hoc obſervandum puto. Periodi partes non ita ſeparandæ ſunt, ut plures eſſe videantur: attamen quædam earum partium debet eſſe ſegregatio, ut auditor eas intellectu facilè diſtinguere queat; id quod imprimis in prolixioribus periodis obſervandum. Aliàs enim animus & memoria eorum, qui nos audiunt, & forſan etiam noſtra, confunderetur: & periodus propter longitudinem ſuam videretur turbata atque confuſa. Quoties periodus pluribus conſtat membris, quæ ſingula merentur aliquam conſiderationem, commodè aptâ pronunciatione illorum diſcrimen fit: attamen ſine reſpiratione id fiat, niſi tot ſint membra, quæ uno ſpiritu exprimi non poſſint. Sic procul dubio Cicero in Oratione pro L. Manilia in his verbis egit: *Delenda vobis eſt*
c. 3. *illa macula, Quirites, quæ penitus inſedit atq; inveteravit in populi Romani nomine: quòd is, qui uno die totâ Aſiâ, tot civitatibus, uno nuntio, atq; unâ literarum ſignificatione cives Romanos necandos trucidandosq; denotavit, non modò adhuc pœnam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum jam tertium & viceſimum regnat; & ita regnat, ut ſe non Ponto, neq; Cappadociæ latebris occultare velit, ſed emergere è patrio regno, atq; in vectigalibus, hoc eſt, Aſiæ luce verſari.*

§. VII. Poſt unamquamque periodum commodè pauſa fit; parva quidem, ſi parva præceſſit periodus, longior autem, ſi quidem longior fuit periodus. Nam præterquam quòd hâc ratione periodi faciliùs diſtinguuntur, & non parùm juvat intellectum & memoriam auditorum: incredi-

incredibile, quantum pulmonibus, pectori & arteriis dicentis prodeſt, & quicunque hujus præcepti periculum fecerit, utilitatem ejus ipsâ experientiâ percipiet.

§. VIII. Auctor eſſem Oratori, ut anniteretur initio ſequentis periodi vocem aliquantò graviorem, quàm præcedentis periodi fini, tribuere; quia id ad ſermonis variationem & organa dicentis confert. Ita tamen, ut interdum contrario modo agat, & pro ratione ſubjectæ materiæ incipiat altiore voce, quàm deſiit in præcedente periodo. Id quod ad variandam vocem etiam ſpectabit, cujus unus idemque tonus omni ſtudio fugiendus eſt.

§. IX. Secundo loco hoc etiam obſervandum: Si fortè periodus magnam contentionem deſiderans ſequutura eſt, in præcedente periodo vocem moderandam & vires corporis ita diſpenſandas eſſe, ut dein ſufficere latera queant exclamandæ ſequenti periodo: ne fortè, jam conſumtis viribus, debiliùs, quàm res flagitat, eam declamare cogaris. Hoc optimè Roſcius & Æſopus obſervârunt, celeberrimi Romanorum Actores, ut Cicero lib. 3. c. 26. de Oratore annotavit. Roſcius enim hunc verſum:

*Nam ſapiens virtuti honorem, præmium, haud prædam petit,*

non eâ geſtûs vehementiâ, quâ potuit, proclamavit; ſed leniùs & ſimpliciùs, ut nimirum, proxima verba proferens,

*Ecquid video, ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras,*

cum admiratione & ſtupore videretur & audiretur. Et Æſopus hæc:

*Quid petam præſidii?*

non tantâ cum contentione, quantâ poterat; ſed leniter & remiſſè, nec actuosè pronunciavit, quia inſtat:

*O pater, ô patria, ô patriæ domus!*

in quo tanta actio commoveri non poterat, ſi fuiſſet conſumta ſuperiore motu & exhauſta. Ita pictores quædam ſub umbris & è longinquo repræſentant, quò magis id, quod eſt illuminatum, extare atque eminere videatur.

*Exempla errorum in Gallicana lingua, ab Auctore hic relata, in calcem libri conjecimus.*

§. X. A periodis tranſeo ad ipſas voces, de quibus hoc primùm tenendum, ut elegantiſſimè loquentium ſimus imitatores, non verò vulgi, qui plerumque ſuos in omnibus provinciis peculiares committit errores. Niſi enim Orator tales circa quantitatem ſyllabarum, & ſimiles, fugiat, ridiculus fiet, ut Pauſanias Sophiſta, quem ruſticè loquutum Philoſtratus refert, & peſſimâ pronunciatione breves ſyllabas longè, longas autem breviter extuliſſe, quamvis de cætero diſertus eſſet, ut ex tempore orare poſſet, quamobrem comparatus fuit coquo bonos cibos malè condienti & præparanti.

§. XI. Quapropter, quantum poteſt, colloquio optimè & elegantiſſiè loquentium utatur, eorum pronunciationi diligenter attendat, eamque imitetur, nec pudeat eos interrogare de verbis, quorum pronunciatio dubia eſt, quin, ut corrigant ſe loquentem, roget, atque ita ſermonem expoliat, ut nihil, quod auditores offendere queat, uſurpet ac retineat.

§. XII. Altera obſervatio in eo verſatur, *ut emphatica verba emphaticè & cum venuſtate quâdam pronunciet,* ſive affirmandi causâ proferantur, ut, *certiſſimè, ſine dubio, neceſſariò, abſolutè, expreſsè, manifeſtò, certè, profectò, verè, reapſe, omninò, ſanè &c.* quæ pronunciationem clariorem & expreſſiorem flagitant: ſive laudandi & exaggerandi gratiâ, ut, *admirabilis, incredibilis, incomparabilis, ineffabilis, inæſtimabilis, ſplendidiſſimus, illuſtris, heroicus, auguſtus, adorabilis &c.* voces ſingulari modo ſplendideque pronunciandæ: ſive vituperii & contemtûs, ut,

*atrox,*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00090 DFG

*atrox, enormis, deteſtabilis, abominabilis, execrabilis, monſtroſus &c.* quæ voce elevatâ & commotâ efferenda: ſive plangendi, ut, *infelix, miſerabilis, funeſtus, lugubris, deplorandus, miſerandus, lamentabilis*, quæ omnes triſtes voces ejusdem rationis accentum & pronunciationem poſtulant. Verbis quantitatis, pondus aliquod voce addatur, ut *grandis, altus, ſublimis, profundus, longus, largus, innumerabilis, æternus:* eodem modo univerſalitatem ſignificantibus, ut, *univerſaliter, unusquisq, ubivis terrarum, quolibet tempore, nunquam.* Extenuandi & deprimendi, ut, *vanus, caducus, parvus, humilis, vilis, debilis*, cum contemtu & humiliore tono pronuncianda ſunt. Quòd ſi Orator Eccleſiaſticus piam animam, ſingularem infirmitatem ſuam agnoſcentem, introducit: *Cùm fidem in animo meo perveſtigo, eam tàm debilem, languidam & deficientem deprebendo*, ſi hæc tono elevato & cum contentione diceret, riſui ſe exponeret, quia contra rerum naturam ageret, cùm verba, *debilis, imperfectus, languidus*, accentum flebilem & vocem humilem ac languidam poſtulent. Hæc pronunciationis diſtinctio, præterquam quòd rebus ipſis prolatis conveniens eſt, etiam vocis variationem, cui ſemper ſtudendum, efficiet.

§. XIII. Denique & hoc addo, verba periodorum finalia eâ vocis moderatione & alacritate proferenda eſſe, ut perinde atque antecedentia facilè audiri poſſint. Imprimis autem attendendæ vocales & compoſitiones, quæ ſonum debilem & obſcurum pariunt. Nam ſi hujusmodi verbis finias, *ſplendor maximus & incomparabilis*, quamvis vox non elevetur, neque, quantum potes, contendas, tamen percipientur auribus auditorum propter majorem ſonum literarum a & o. Aſt ſi finiatur periodus vocibus ex i. & e. conſtantibus, ut hæc: *non niſi typus & ſimilitudo quædam*

*dam eſt*; & debili proferantur ſono, non adeò penetrabunt aures auditorum, licet non procul ab Oratore, adſtantium. Quod præceptum inter alia probè obſervandum, quia plurimi Oratorum hac in re peccant.

PARS POSTERIOR
De
# GESTV ORATORIS.

## Cap. XII.
## *De Geſtu in genere.*

§. 1. *Geſtus Oratori perquam utilis ad perſuadendum.*
2. *Geſtus ſit accommodatus rebus, de quibus ſermo eſt.*
3. *Affectatio cavenda.*
4. *Fugiendum eſt, quicquid auditori moleſtiam parere poteſt.*
5. *De uſu ſpeculi in hoc ſtudio.*
6. *Amici, judicandi hac de re periti, cenſura adhibenda.*

§. I.

JAm, ut de geſtu agam, tempus eſt, qui Oratori ad affectus in animis auditorum excitandos, quos ipſemet habet, & ad cogitationes ſuas majore cum voluptate & effectu imprimendas non parvum præſtat ſubſidium: cùm ſenſus longè vehementiùs moveantur voce & geſtu ſimul, quàm ſolâ voce & pronunciatione. Quapropter audientes Oratorem videre ſimul deſiderant, cui videndo niſi quis aptum ſortitus ſit locum, penitus contentus eſſe nequit. Utrumque horum æquè magni eſt momenti, &,

ſi

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00092 DFG

ſi utrumque Orator adhibet, cogitata ſua perfectiùs exprimere poterit, quamvis alterutra etiam exponat animi ſenſa, attamen ſeparatim minore cum efficacia. Nam ſi ſolâ voce cum cæcis agimus, ſolo geſtu cum ſurdis loquimur, abs quo ſi eſſet, nihil nobis cum ipſis intercederet commercii. Et quidem geſtus in hoc ſuperat vocem ac ſermonem, quòd cùm ſolis noſtræ nationis noſtrique idiomatis hominibus loqui queamus, geſtu autem ſine diſcrimine cogitationes & affectus noſtros indicare poſſumus in univerſum omnibus omninò mortalibus. Eſt enim inſtar communis linguæ totius generis humani, quâ non minùs oculorum beneficio, quàm in ſermone per aures, afficimur. Nec mirum eſſe debet, res, quæ moventur, nos afficere poſſe, cùm pictura, quæ nullum habet motum, tantoperè in animos ſpectantium nonnullorum penetret, ut interdum majorem vim habeat, quàm oratio & verba. Oratio quidem ſola primarias operationes in animis auditorum efficit; ſed quando geſtu deſtituta eſt, qui velut vitam ipſi largitur, ut cum Aſconio dicam, mortua eſt. Ideò Plinius Junior de recitationibus orationum & poëmatum, quæ fiebant illo tempore coram amicis, & legebantur vel ab ipſis auctoribus, vel ab aliis, dicit: *Recitantium præcipua adjumenta, oculi, manus, præpediuntur, quò minùs mirum eſt, ſi auditorum intentio relangueſcit, nullis extrinſecus aut blandimentis capta, aut aculeis excitata.* L. 2. Ep. 19. Quando verò non ſolùm pronunciationis ſuavitas, ſed etiam geſtuum commoditas ipſam orationem ornat, illa re verâ, quaſi vivens, admirabiles parit effectus. Animum enim auditoris attentum detinet tàm per oculos & aures, quàm per ipſas rationes, &, ſi cum adverſario res eſt, illius oculis caliginem offundit, ejus animum metu percellit, & pudore confundit. Hoc eſt, quod Cicero

K Cæcilio

Cæcilio minatur, ſi contra Hortenſii defenſionem Verrem accuſâſſet, quod deſiderabat Cæcilius: *Vide modò*, inquit, *etiam atq; etiam conſidera. Mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modò verbis te obruat, ſed geſtu ipſo ac motu corporis præſtringat aciem ingenii tui, teq; ab inſtitutis tuis cogitationibusq; deducat.* Idem Cicero in libris ſuis de Oratore, demonſtrans, quâ ratione Craſſus Brutum, adverſarium ſuum, confuderit, dicit, eum verba, quibus pudorem incutere volebat, fixis in eum oculis, ita omni geſtu in ipſum converſo, quaſi eum deglutiturus, protuliſſe.

In Q. Cæcil. cap. 14.

§. II. Ut verò hic mutus ſermo ex vultu & manibus dicentis facilè intelligatur, & affectus auditorum vehementer moveat, rebus ipſis, de quibus verba fiunt, accommodatum eum eſſe oportet, & ipſis cogitationibus convenientem, & planè affectui, quem exprimere, aut movere debet, naturalem. Si enim de rebus triſtibus vultu læto ageres, aut, rem ita ſe habere, diceres geſtu negantis, verbis tuis omnem fidem auctoritatemque adimeres.

§. III. Cavenda eſt in omni geſtu affectatio; quia omne affectatum eſt ingratum: ut omnia videantur merè naturaliter ſe habere; ex rebus ipſis, quæ dicuntur, nata, & ex affectu, qui movet dicentem, orta.

§. IV. Denique, quantum poteſt, operam dabit Orator, ne quid in toto corpore ſuo, ejusque motu, occurrat, quod ſpectantium oculos offendere poſſit. Similiter caveat, ne quid in pronunciatione, quod auditorum auribus ingratum, deprehendatur; aliàs, ut præſentia ejus minùs grata: ita ſermo ipſius non id, quod debebat, omne efficiet & obtinebit. Quod eò eſt difficilius obſervatu, quòd vocem ſuam audire poſſit, ſed vultum & geſtum ſuum ipſe, niſi imperfectè, videre non poſſit. Propterea

pterea Demoſthenes, ut geſtum ſuum obſervare, & de eo judicare poſſet, orationes pronunciare, & cauſas agere ad magnum ſpeculum ſolebat.

§. V. Id quod hodieque utile eſſe arbitror, dummodo ſpeculi illud incommodum notetur, quòd ibi ea, quæ à dextris ſunt, ſiniſtrè, & vice verſâ, exhibeantur. Ita, ſi geſtum dextrâ facis, videbis, in ſpeculo eum ſiniſtrâ fieri; quod valdè eſt moleſtum. Si verò quis, ad ſpeculi naturam magis ſe accommodans, id ſiniſtrâ agere, quod dextrâ agendum erat, inſtituat, judicare de eo motu rectè quidem poterit, ſed, ſæpiùs ita agens, perversè agere asſueſcet. Hoc tamen incommodi compenſat illa utilitas, quòd totum corpus, & ejus diſpoſitio, omnesque illius motus obſervari in ſpeculo poſſunt, ut, an quid ibi indecorum & ingratum ſit, cognoſci queat; aut, an aliquid, quod decens & venuſtum, & ad finem per orationem obtinendum, utile ſit.

§. VI. Deſtitutus ſpeculi adminiculo amicum, ut hoc ſibi officium præſtet, rogare debet; & quidem talem, qui, an geſtus conveniens ſit, nec ne, judicare noverit.

§. VII. Verùm, hanc artem addiſcendi conſilium eſt omnium utiliſſimum, ſi, quantum fieri poteſt, habeas oculis propoſitum exemplar excellentiſſimum viri egregii, qualis olim Hortenſius fuit, qui hâc mutâ eloquentiâ adeò excelluit, ut duo illi Comici celeberrimi, Æſopus & Roſcius, cùm ſcirent, illum acturum eſſe cauſam, diligentiſſimè auditum eum ſe conferrent in judicium, ut geſtus elegantiſſimos ipſius viderent & diſcerent, atque, quod in foro didicerant, in theatro imitarentur & exhiberent.

## CAP. XIII.

### *Regulæ ſpeciales de geſtu.*

*§. 1. Summa hoc capite proponendorum.*
*2. Totum corpus an, quando & quomodo movendum.*
*3. De capite regula prima.*
*4. - - - regula ſecunda.*
*5. De vultu præcepta.*
*6. De oculis.*
*7. De lachrymis.*
*8. De fletu Oratoris Eccleſiaſtici.*
*9. De oculorum elevatione & ſubmiſſione.*
*10. De ſuperciliis.*
*11. De ore.*
*12. De labiis.*
*13. De humeris.*
*14. De ventre.*
*15. De cubito.*
*16. De manibus regulæ ſeptendecim.*
*17. De digitis.*
*18. De pedibus.*

§. I.

UT certis agam regulis ſpecialibus, *primùm* de totius corporis ſtatu dicam; *deinde* de capite, de oculis, ſuperciliis & vultu; *deniq;* ad manuum motum pergam, de quo plura, quàm de reliquis prioribus omnibus, notanda erunt.

§. II. Quod attinet totum corpus, non omni momento loco, aut ſitu ſuo moveri debet. Talis enim agitatio indecens certè eſſet & ſimilis illius Curionis, quem Junius dicebat ex lintre loqui, quòd ſemper à ſiniſtra ad dextram, & à dextra ad ſiniſtram vergens agitaretur. Neque tamen inſtar trunci corpus ſit ſemper immobile. Hoc enim, præterquam quòd corpori naturale non eſt, cùm Deus id ita formaverit, ut poſſit & debeat verti interdum, prout vel animus juſſerit, aut ipſum corpus poſtulaverit; ingra-

ingratum & invenuſtum eſt, quia varietas, in omnibus gratiſſima, abeſſet.

§. III. De Capite non opus indicare hoc loco, quem geſtum, quænam indicia illud facere poſſit, ut abnuendi, concedendi, confirmandi, admirandi, iraſcendi, quia hoc omnibus ubique notum. Duo tantùm ſunt, quæ jam indico. Prius eſt, ne teneatur caput cervice tensâ elevatum, quia hoc arrogantiam argueret: nec ad pectus depreſſum, quia ſic vox minùs clara & verba minùs intelligibilia fierent: non in alterum humerum declinans, quia id languorem indicaret, ſed ſemper erectum, in ſtatu ſuo naturali.

§. IV. Alterum eſt, ne caput ſit inſtar ſtatuæ planè immobile: neque tamen ſemper in motu ſit, neque tremat, aut promineat & protrudatur in contentione ſermonis, quod multis alioquin contingit, ſed utrumque horum extremorum fugiendo caput leniter moveatur, quoties opus eſt, naturâ ipsâ ſic jubente, non ſolùm ad illos, qui in medio cœtu ſunt ante oculos, videndos, ſed etiam interdum circumſpiciendo, modò eos, qui in hoc latere, modò qui in altero conſiſtunt, orator intueatur: ſed plerumq; eo loco affixis oculis ſeſe contineat, unde vox facillimè audiri queat à maxima auditorum parte, quod plerumque fit, ſi medium auditorii reſpiciat. His addo, quòd caput ſemper debeat ad id latus converti & moveri, quo geſtus fiunt, niſi cùm quid recuſamus, ut, cùm Poëta dicit:

*Non equidem tali me dignor honore.*

Aut deteſtamur; ut, cùm dicit:

*Dii talem terris avertite peſtem!*

Hæc enim dum manibus veluti rejiciuntur, caput parumper verſus alterum latus eſt vertendum.

§. V. Inter capitis partes nulla eſt, quæ ipſo vultu majorem actioni elegantiam & vitam conferat. Quare veteres, annotante Craſſo apud Ciceronem, Roſcium in eo non laudabant, quòd perſonatus peroraret; quia vultum, ejusque motus & illicia videre non poterant. Hæc eſt illa pars, quam ſummo ſtudio obſervare & curare debemus, ne quid ibi ingratum aut diſplicens appareat; quia ea maximè aliorum oculis & viſui expoſita, & in quam omnes auditores defixos habent continuè oculos. Illi enim, quamdiu verba facis, te intuentur. Quin & antequam dicere incipias, te intuentur, nec ullus ibi defectus, aut ullum vitium, quamvis minimum ſit, exiſtere poteſt, quod non ſtatim ab omnibus, præterquam à te ipſo, notari queat. Huic nullum aliud eſt remedium, niſi ſpeculum, aut amicus fidelis, qui diligenter obſervet omnia dicentis, libereque indicet, quicquid indecorum, ingratum, aut diſplicens occurrit, ut hâc ratione ſponte, vel ipſius conſilio id tollatur. Res ipſa, de qua agitur, aut affectus ipſius Oratoris & in auditorum animis excitandus, ſimiliter dignitas aut qualitas ejus, cui loquimur, in vultu motus varios gignere aut regere debent, ut in eo lætitia appareat in rebus lætis, & in amoris & gaudii affectibus: triſtitia autem in luctu & lugubri ſermone, in odii & doloris affectibus: ſuavitas in conſolationibus, ſeveritas in reprehenſionibus, gravitas & auctoritas, quando ad inferiores, aut reverentia & modeſtia, quum ad ſuperiores ſermo dirigitur.

§. VI. Oculi ſemper ſint ad auditores intenti, qui tamen leniter jam hac, jam illac ſunt vertendi, ne ſemper uni auditorii loco ſint infixi, ut multorum eſt geſtus valdè ingratus, nec movet tantoperè auditores, quàm ſi eorum vultum inſpiciat Orator, ut in familiari ſermone fieri

ri aſſolet. Ideoque haud immeritò Actorem quendam reprehendebat Theophraſtus, nomine Tabriſcum, qui, in ſcena verba faciens, oculos immobiles uni loco affixos tenere ſolebat. Conſpectus autem amœnus & rectus eſſe debet, non ruſticus aut obliquus, niſi fortè locus aut affectus, qui ciendus aut repræſentandus eſt, aliud flagitet. Natura ipſa ejusmodi documenta ſuggerit, quoties ejusmodi affectum animi ſentimus. Nam irati e. gr. affectus adeò inflammat animum, ut oculi quaſi ſcintillantes appareant, ut etiam peregrinus, linguæ illius ignarus, aut ſurdus, ne tonum quidem vocis percipiens, indignationem facilè agnoſcere poſſit. Oculorum autem flamma plerumque accendit oculos auditorum in vultum dicentis fixos. Eadem ratio eſt aliorum affectuum. Nam ſi vehementi dolore aut commiſeratione alterius motus es, lacrymas tenere non poteris.

§. VII. Ideoque veteres Actores tantâ curâ, tantoque ſtudio operam dederunt, ut affectus ſibi excitarent, adeò ut largas funderent lachrymas, nec malè ipſis hic labor ceſſit. Obſervati enim eorum ſunt nonnulli, poſtquam peractâ fabulâ ſcenam reliquerant, quorum vultus adhuc lachrymis totus madebat. Pluribus quidem modis id obtinuerunt, ſed nullus fuit efficacior eo, quòd veram paſſionis cauſam, non verò illam in fabula fictam, quâ non faciebantur, mente conciperent, ſibique ob oculos ponerent. Exempla ejus extant duo notatu digniſſima. Alterum eſt Poli, Comici celeberrimi, qui, cùm diu non prodiiſſet in ſcenam, impeditus luctu filii ſui defuncti, quem tenerrimè amaverat, tandem reverſus ad fabularum actiones, Sophoclis Electram agebat, ubi perſonâ ipſius Electræ ſumtâ urnam & oſſa fratris Oreſtis portantis & lugentis, ut efficaciorem luctum præ ſe ferret, loco fi-

ctæ

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00099 DFG

ctæ Oreſtis urnæ, ex filii ſui monumento urnâ & oſſibus ſumtis & in theatrum portatis, animum tanto dolore confecit, ut exinde ploratu & ejulatu excitato, lachrymis non fictis, ſed veris effuſis, theatrum totum in lachrymas & fletum adegerit. Alterum exemplum eſt excellentis illius Hiſtrionis & Tragœdi, Æſopi, qui, amore ergà Ciceronem flagrans, & ex animo dolens eum in exilium actum, domum ipſius combuſtam, omnesque reliquas ejus adverſitates ægrè ferens, ſingulari beneficio ſibi ipſum devinxit. Cùm enim videret, omnes ejus amicos pro virili laborare, ut populus revocaret ab exilio Ciceronem, ultimas partes ferre ipſe noluit. Ideoque Accii Tragœdiam quandam in ſcenam producens, in qua elegantes occurrebant verſus de Telamonis exilio & horribili caſu Priami, ejusque familiæ, qui in Tuſculanis & in Oratione pro Sextio reperiuntur: in illis Poëtæ verbis propoſuit ſibi Æſopus non fictum drama antiquæ fabulæ & virorum veterum, ſed ipſas amici ſui calamitates veriſſimas repræſentans, recitabat non ſolùm voce perquam lugubri, ſed etiam oculis fletu madentibus, omniumque ſpectatorum lachrymas abundè eliciebat, etiam Ciceronis inimicorum, quotquot aderant. Hoc ad populi animum ipſi reconciliandum, ad eum revocandum & in priſtinam dignitatem reſtituendum multùm fecit, ut ipſe Cicero refert, & grato animo agnoſcit beneficium, à celebri illo Actore, amico ſummo, hâc occaſione ſibi præſtitum.

§. VIII. Si in theatro, ubi præter voluptatem & delectationem nihil quæritur, hæc res tantùm valet: quantò magis in Eccleſia, ubi de gloria Dei & animarum ſalute agitur, duabus rebus longè maximis, quæ magis animos noſtros percellunt, hoc efficeret? Et ſanè, cujus efficaciæ exiſtimas fuiſſe lachrymas S. Pauli in exhortatione

tatione illâ Epheſiorum effuſas, ipſorum Paſtoribus dicentis: *Recordamini, quòd per triennium nocte ac die non ceſſaverim cum lachrymis monere unumquemq.* Ideò Orator ideam rei affectum ſuum excitantis penitus animo concipiat, ita fiet, ut affectus in animo ipſius commotus ex oculis quoque eluceat, atque in auditorum oculos & animos penetret, quemadmodum, læſos alterius oculos ſi intuemur, ſæpe noſtri etiam læduntur oculi. Venit hîc mihi in mentem alicujus ſuo ſeculo celeberrimi Oratoris Eccleſiaſti, qui Eccleſiæ ſuæ vitia in maximo cœtu perſtringens, & populo omnes calamitates ſigillatim à Deo immiſſas demonſtrans, oportunè ſubjecit: *Et tandem Deus nos derelinquet!* Deinde plorans perrexit voce lamentabili & miſerabili: *Et, ſi tu nos derelinquis, ô Deus, quid nobis fiet?* Quæ verba, tono & geſtu conveniente prolata, lachrymas ferè omnibus auditoribus expreſſerunt.

§. IX. Quantum ad oculorum elevationem, aut depreſſionem, manifeſtum eſt, eam pro ratione rerum, de quibus ſermo eſt, fieri debere. Si enim de cœlo & cœleſtibus poteſtatibus ſermo eſt, procul dubio oculi ſublevandi ſunt; ſin de terra & rebus inferioribus, dejiciendi ſunt. Si quis aliter agat, id foret, oculorum, ut ita dicam, ſolæciſmum committere; ut vetus Sophiſta, de quo Philoſtratus dicit, quòd, *O Jupiter!* dicens, vultum depreſſerit, & ſubjiciens: *O Terra!* ad cœlum ſuſtulerit. Juxta affectus etiam oculi ſunt gubernandi; ut in rebus turpibus deprimendi, ita in glorioſis elevandi oculi. In jurejurando imprimis neceſſe eſt oculos tollere ad eum, per quem juratur, quemadmodum etiam manus eò porrigitur.

§. X. *Supercilia* nec planè immobilia eſſe debent, nec mobilia nimiùm; nec utrumque ſæpius extollendum, ut nonnulli ad omnia, quæ dicunt cum contentione, ea

tollunt; neque unum tollendo alterum deprimendum eſt, ut Piſoni Cicero exprobrabat, quòd alterum ad frontem ſummam elevaret, alterum verò ad mentum deprimeret. Eodem autem loco & ſtatu naturali plerumque quieſcere debent. Attamen permiſſum, imò conveniens & decorum eſt, illa moveri interdum, cùm affectus id poſtulant, id eſt, in triſtitia corrugari aut caperari, in lætitia autem dilatari, in humilitate aut pudore verò ſubmitti.

§. XI. Quod ad *oris formam*, illud nunquam eſt torquendum, quia valdè invenuſtum eſt. Ideoque olim Seſtio Pinario, qui ſolebat inter loquendum maxillas & mentum movere, quaſi nucem ore contineret, quam dentibus frangere conaretur, per jocum dicebatur: *Frange prius nucem illam, deinde dic, quæ dicere habes.*

§. XII. *Labia* nec lingenda, nec mordenda ſunt, ut nonnullos facere obſervavi, quod perquam indecorum.

§. XIII. Quod ad *humeros*, ſunt, qui eos tollunt ad ſingulas propoſitiones, quemadmodum illi teſtes Græci,
c. 13. quos Cicero videbat, in Oratione pro Rabirio Poſthumo, *qui humeris geſtum agebant*. Quod vitium, quia inſulſum eſt, caveri diligenter debet. Demoſthenes tamen eo laborabat, ſed, ut corrigeret, privatim in anguſto declamabat loco, ubi ſuſpenſus erat pugio aut gladius adeò humeris imminens, ut, ſi vel parùm moviſſet, (quod ipſi evitare difficile, quippe diu jam adſuetus,) ſentiret mucronem, & de emendando vitio ſuo admoneretur.

§. XIV. Sunt præterea, qui, inter orandum *ventrem* protrudentes, caput retrò agunt, quod meritò veteres improbârunt tanquam valdè indecorum.

§. XV. Alii *cubitum* imponunt ſuggeſtui, &, manu ſuper cubitum elevatâ, varios pro arbitrio geſtus formant, quod non magis laudabile aut decorum eſt.

§. XVI.

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00102 DFG

§. XVI. Reſtant *manus*, quæ geſtuum primarium ſunt inſtrumentum, quarum ope tàm varii illi ſunt, quàm res ipſæ, quæ ſignificari poſſunt. Illis enim in vocando, dimittendo, promittendo, minando, ſupplicando, admirando, jurando, & in repræſentandis plerisque, de quibus loquimur, utimur. Quare rectiſſimè Quintilianus dixit, reliquas corporis partes Oratori in loquendo adminiculo eſſe; manus verò, ſi ita dicere licet, loqui & perorare. Et Martialis pro *toto geſtu*, *totâ manu* dixit, quaſi geſtus nihil aliud, quàm manuum motio eſſet. Aptè & convenienter eas movere eſt res magni ad eloquentiam momenti; utile igitur fuerit regulas ſequentes obſervare:

I. Non eſt geſtus manibus, imprimis magnus, faciendus ſtatim, ut ad loquendum progreſſi os aperimus, niſi id fiat in Exordiis, quæ *ex abrupto* fiunt; ut in illo Orationis Ajacis contra Ulyſſem de Achillis armis:

*Intendensq́; manus, agimus, (proh Jupiter!) inquit,* Ovid. l. XIII. Metam. Fab. I. v. 5. &c.
*Ante rates cauſam, & mecum confertur Ulyſſes?*
*At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,*
*Quas ego ſuſtinui, quas hac à claſſe fugavi.*

Opportuna & rei conveniens hîc fuit procul dubio illa manuum verſus littus & portum extenſio, imò neceſſaria; alioquin fuiſſet vitioſa. Nam, ut ſuprà de pronunciatione cùm ageretur, dictum eſt, Exordia ordinariè *tranquilla* eſſe, & ſine omni commotione fieri debent.

II. Nunquam manibus fragor aut ſonitus fieri debet, neque illis pulſandus ſuggeſtus aut pectus. Nam, præterquam quòd ille geſtus circulatorum & circumforaneorum proprius eſt, nulli rei utilis eſt.

III. Dextrâ manu omnis geſtus fieri debet; quòd ſi fortè ſiniſtra adhibenda, non fiat, niſi ut dextræ ſocia ſit, nec tamen



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00103 DFG

tàm altè elevanda unquam, ut illa. Verùm ſolâ ſiniſtrâ geſtus facere nunquam decet, quia id valdè indecorum eſt. Excipio tantùm ab hac regula, ſi mentio facienda manûs dextræ & ſiniſtræ, ut ſi agatur de ſeparatione bonorum & malorum, quam ſupremus Judex in extremo judicio faciet, mittens bonos ad dextram, malos autem ad ſiniſttam. Ubi non ſolùm permiſſum, ſed etiam neceſſarium eſt geſtus facere ipſi rei convenientes, alterum ſolâ dextrâ, alterum ſolâ ſiniſtrâ. Sic, cùm Servator noſter jubet præcidere dextram, ſi illa ſcandalo ſit homini infideli, ſi illa actio mihi foret verbis repræſentanda cum geſtu, equidem ſiniſtrâ illud facerem, quippe illâ ſolâ fieri poteſt, cùm dextra ſeipſam abſcindere nequeat.

IV. Dextram aptè pectori Orator admovet, quum de ſe ipſo loquitur, aut animum & conſcientiam ſuam teſtatur. Dico, tantùm *admovendam eſſe manum pectori*, quia manus pectori tantùm imponenda, non verò pulſandum pectus, ut nonnulli faciunt. De cætero manu ſiniſtrâ planè in geſtibus non eſt utendum. Quòd ſi qui fortè naturâ ſint ſcævæ, qui ſiniſtræ manûs motu abſtinere planè non poſſint, quia ab infantia ita agere conſueverunt, illis auctor ſim, ut, ad defectum hunc tegendum, utrâque manu ſimul geſtum facere ſtudeant; hoc enim modo non offendent auditorum oculos.

V. Geſtum à ſiniſtra ad dextram fieri decet, & deſinere in dextra, non quidem pulſando, ſed leviter illam reponendo.

VI. Geſtus cum verbis incipiat & deſinat. Ridiculum enim foret manum movere antequam loqui cœperis, aut geſtum continuare, cùm loqui deſieris.

VII. Motus manuum congruere debet actionis naturæ, de qua ſermo eſt. Nam dicendo *attrahere* ſi quis manum projiciat, aut *propellere* ſi manum attrahat, *ſeparare* aut *extrahere* jungendo manus, *claudere* aperiendo, aut *aperire* claudendo,

*exal-*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00104 DFG

*exaltare* deprimendo, aut *deprimere* elevando manus, eſſet contra naturam rerum & contra rationem agere, & riſui auditorum ſeſe exponere.

VIII. In magnis affectibus geſtus & motus manuum apprimè eſt neceſſarius, ut figurarum, quæ adhibentur, ardori reſpondeat. Exemplo ſit Apoſtrophe, quam celebris Advocatus in cauſa ad Principes ſanguinis adhibuit: *Vos, generoſi Principes, tanti parentis filii, quare non hosce impoſtores, qui fronti veſtræ maculam omnium maximam & turpiſſimam inurere conantur, veſtris manibus jugulatis?* quis non videt, quo manuum geſtu illam pronunciationem adjuvare debuerit, *veſtris manibus jugulatis*, ut huic figuræ omnem illam virtutem & efficaciam, quam habere debet, adderet?

IX. Si manus tolluntur, hoc altiùs fieri non debet, quàm usque ad oculos, aut paulò duntaxat altiùs; cùm reperiantur, qui illas usque ad tabulatum ſuperius, ſi poſſent, elevarent. Eadem in deprimendis manibus proportio obſervanda eſt, ne id, quod nonnulli faciunt, committatur, qui, loquentes ex ſuggeſtu, dextram, quaſi mortuam, pendere ſinunt, quod eſt perquam invenuſtum.

X. Denique oculis dicentis ſemper obverſentur manus, nunquam non capiti obviæ, nec altiùs aut depreſſiùs temerè exorbitantes, ut auditores os, oculos & manus, ad eandem rem diverſimodè indicandam concurrentes, ſimul obſervare poſſint, quò ſenſibus & animis auditorum magis occupatis, ea, quæ dicuntur, ſuaviùs inſinuentur, & meliùs imprimantur.

XI. Ad latus brachium ultra ſemipedem à corpore non eſt extendendum; aliàs geſtus à vultu Oratoris nimis recederet, niſi fortè ad eum obſervandum faciem convertat, quod ridiculum eſſet.

XII. In jurejurando manus elevanda eſt. Ipſe Deus, homines cum juramento alloquens, ſive in promiſſione, ſive in minis id fiat, non uno loco dicit in ſuo verbo, *ſe tollere manum ſuam*, i. e. ſe jurare, quòd ex gratia ipſis benedicere, aut ex ira illos punire velit. Idem de Exclamatione dico, ut geſtus pronunciationi, utrumque autem horum ipſi rei naturæ reſpondeat.

XIII. Non ubivis geſtus eſt adhibendus. Sicut enim manus non ſemper otioſas eſſe oportet; ita nec in perpetuo eas eſſe motu conveniens eſt. Incurreret enim Orator vitium, quod veteres *garrulitatem manuum*, aut *manus nimis loquaces* appellârunt. Nec Oratoris gravitati conveniens eſt illa veterum Græcorum & Pantomimorum geſticulatio, qui ſine ſermone & voce, ſolâ actione & geſtu, omnia ſignificabant.

XIV. Sunt nonnullæ actiones, quæ nunquam ab Oratore geſtu repræſentandæ, aut imitandæ; ut pugilum conflictus, arcûs intenſio, bombardæ, vel ſclopeti, exploſio, inſtrumentorum muſicorum tractatio, quaſi teſtudine aut citharâ quis canentem referret.

XV. Magis adhuc & majore curâ ac diligentiâ omnis geſtus & motus, qui aliquid turpitudinis habet, evitandus eſt, v. g. de luxu & impudicitia M. Antonii, Verris, & ſimilium.

XVI. Aliarum actionum, quæ decorè repræſentari poſſunt, imitationes & geſtus debent eſſe valdè mediocres & modeſti, non grandes aut vaſti, neque etiam nimis frequentes, quæ brachiorum & manuum indecentem facerent agitatio-
L. XII. c. 3. p. 559. nem, quaſi muſcas abigere veller. Quod vitium erat Curionis, de quo Quintilianus ſcribit, quòd, cùm inter orandum vehementibus agitationibus jactaretur aſſidente ipſius Collegâ propter valetudinem deligato & propter dolorem artuum delibuto, Sicinius, eum irridens, dixerit; *Nunquam, Octavi, Collegæ tuo gratiam referes: qui, niſi fuiſſet, iſthic hodie te muſcæ comediſſent.*



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00106 DFG

XVII. Quando per Proſopopœiam perſona loquens introducitur, cavendum eſt, ne geſtus ſtatui, in quo fuit, inconveniens tribuatur; ut, ſi Servatorem Jeſum Chriſtum cruci transfoſſis manibus affixum proponas dicentem: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Aut: *Mi Pater, condona ipſis, quia, quid agant, ignorant*; non eſt præſentandus manus jungens, aut verſus cœlum extendens. Neque, cùm hæc verba profert: *Mulier, ecce filium tuum*; extenſo digito Sanct. Johannem monſtrans hæc dicere fingendus eſt. Videtur quidem unicuique recta ratio hoc dictare, ut non opus ſit monere; attamen exiſtimavi, me non abs re hoc paucis attingere, quia, loquentes de invocatione Dei, manibus junctis, aut, certum hominem monſtrantes, digito exerto id facere adeò conſuevimus, ut periculum ſit, ne idem nobis in dicto caſu contingat, niſi illud cavere moniti ſimus.

§. XVII. Quod ad manuum partes attinet, an in digitis numerare membra Orationis, aut rerum, conveniat, non omnes Rhetores conſentiunt. Geſtus ille Hortenſio perquam familiaris fuit, quem Cicero in eo alicubi ridet. Equidem, ut id non eſſe neceſſarium arbitror; ita nec quidquam indecori eum habere exiſtimo. Non loquor jam de eo geſtu manuum, qui apud veteres adeò uſitatus erat in magno luctu, ut modò frontem, vel caput, ferirent, modò pectus tunderent, aut femora percuterent; quia id à noſtris moribus quàm longiſſimè remotum eſt.

§. XVIII. Neque jam præcepta veterum, quæ dederunt de motu pedum & genuum, deque Oratoris greſſibus, attingo aut repeto; quia illi ex ſuggeſtu, in quo plures greſſus facere poterant, & ſæpe faciebant, perorabant. Quapropter Flavius Virginius Declamatorem quendam, quem audiverat, quique inter loquendum valdè ambulaverat, interrogabat: *quotnam milliaria declamâſſet?* cùm hoc tempore

nec

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00107 DFG

nec in Eccleſia, nec in judiciis id fieri queat, & Orator ſemper eodem loco ſubſiſtat. Sufficit mihi, obſervationes & regulas, praxi hodiernæ convenientes, protuliſſe. Ubi forſan complura præcepta omiſi, quæ ab aliis obſervari poterunt; attamen primaria & maximè neceſſaria me attigiſſe exiſtimo.

## CAP. XIV.

### *Admonitio de uſu omnium illorum, quæ tradita ſunt, præceptorum.*

*§. 1. Hæc pauca, ſi exercitatio accedat, videntur ad perfectam actionem & pronunciationem ſufficere.*
*2. Præcepta ut puerilia videntur, ita exercitium decorum eſt.*
*3. Inter orandum de præceptis hiſce non debemus cogitare.*
*4. Nec ſemper de geſtu præmeditatio præcedat.*
*5. Præcepta tamen hæc non diſcenda ſolùm; ſed per exercitium etiam in habitum deducenda.*
*6. Spiritus ad orandum exercendus.*
*7. Vocis variatio exercenda.*
*8. In quotidiana colloquia horum præceptorum uſus transferendus eſt.*
*9. Oratorum celeberrimorum exempla viva obſerventur.*
*10. Cenſores pronunciationis & actionis noſtræ initiò adhibeamus.*

§. I.

DE modulatione & varia vocis flexione, aut de geſtuum formatione, & totius corporis, imprimis vultûs & oculorum, motu, quàm plurima reſtant obſervanda, quæ tamen ſcripto comprehendi perquam difficile, ne dicam impoſſibile eſt. Illa uſu, vivâ voce, audiendo fidelem aliquem dicendi magiſtrum, & à quo præſente pronunciatio vitioſa corrigatur, addiſci debent. Hac de cauſa S. Auguſtinus in epiſtola ad Paulinum, amicum ſuum, verum alicujus Scripturæ S. dicti ſenſum per pronunciationem expoſiturus, excuſat, quòd id non vivâ voce, ſed ſcripto facere conatus ſit. Id quod me etiam excuſabit, non ſpecialiora ejusdem naturæ

turæ & rationis præcepta proponnentem. Si id, quod attuli, probêad uſum transferatur, meâ quidem ſententiâ ſufficere poterit ad geſtum aptum & pronunciationem laudabilem comparandam. Sed, antequam libello finem imponam, præcepta vel monita quædam generalia, Lectori fortè non inutilia, proponam.

§. II. Initiò moneo, *horum præceptorum exercitium magnificentius eſſe, quàm doctrinam.* Ipſa enim hujus artis præcepta, cùm traduntur, videntur humilia & parvi eſſe momenti; ſed accuratè obſervata orationi ſplendorem & decus mirificum conciliant. Sæpe enim oratio non niſi mediocris hâc ratione gratior & ad perſuadendum aptior fieri poteſt, quàm alia, quæ in ſe ipſa eſt longè perfectior. Ideoque illa non ſunt contemnenda, quanquam nonnulla illorum ſint, quæ, neſcio quid, leve & puerile contineant.

§. III. Addo & hoc, quòd, quando, Oratorem hæc debere obſervare, dico, non exiſtimem, Advocatum in ipſo defenſionis fervore, aut Sacerdotem concionantem ea præcepta reſpicere debere. Eo enim tempore nil, niſi negotium ipſum, conſiderare, nec quidquam, niſi affectus, quos ipſa res movet, ſequi debet: nempe loc9, in quo dicit, & præſentia ejus, cui loquitur, eum dirigere debent, de quibus præceptorum obſervandorum cura ipſum longè removere poſſet, ſi tunc vel temporis momentum illi impenderet; quin facilè orationis fervor hoc modo extingui & memoria dicentis turbari poſſet. Nam, ut S Auguſtinus in ſuis de Doctrina Chriſtiana libris inquit: *Vix ullos eſſe exiſtimo, qui utrumq; poſſint, & dicere benè, & ad hoc faciendum præcepta illa dicendi cogitare, quum dicunt. Cavendum eſt enim, ne fugiant ex animo quæ dicenda ſunt, dum attenditur, ut arte dicantur.* L. IV, c. 3.

§. IV. Eodem modo non deſidero, ut, quoties in publico loqui neceſſe habet, Orator priùs in muſeo ſuo omnes

M gestus,

geſtus, quibus utendum ipſi aut in ſuggeſtu, aut in judicio, ſtudiosè præmeditetur, quemadmodum Roſcius, de quo veteres ajebant, quòd nullum coram populo geſtum, domi non antè cum cura præparatum, faceret. Hoc enim nec ab Eccleſiæ miniſtro, cui crebræ ſunt habendæ conciones, nec ab Advocato, qui plurium cauſarum ſimul patrocinium ſuſcepit, fieri poſſet. Et quamvis ei meditationi aliquid temporis largiri poſſet, cùm id rebus gravioribus, de quibus verba ſunt facienda, ſubtraheret, certè malè id collocâſſet. Nec ipſi auditores hoc ab Oratore requirunt. Nam, ut apud Ciceronem Antonius rectè obſervavit, auditores non eandem in Oratore & Actore, actionis rectitudinem & curam expectant. In theatro enim Actorem ſpectantes non rebus propoſitis toto animo intenti ſunt, quippe quas fictas & fabuloſas eſſe nôrunt; ſed ſolummodo, quâ ratione illæ ſint repræſentatæ, h. e. aut elocutionis elegantiam, aut pronunciationis & geſtuum venuſtatem, ſpectant, quâ niſi ſatisfecerit vel ipſis eorum ſenſibus, nequaquam illo contenti ſunt: cùm in Oratore audiendo imprimis ipſius rei feriæ momenta & gravitatem obſervent, & quantũ ad Actionem, ſi ea rationi convenienter facta fuerit, nec aures, vel oculos offenderit, contenti ſint.

§. V. Hoc verò eſt, quod futuro Oratori faciendum autumo: priusquam ad publicè dicendum procedat, hæc Actionis & Pronunciationis præcepta diſcat, privatimque ea ad uſum transferre ſtudeat, atque diligenter huic rei incumbat, ut continuato ejus exercitio habitum acquirat.

§. VI. Exempli gratiâ, ut ſpiritum quàm longiſſimum
c. 3. ſibi comparet, hanc Ciceronis ex Orat. pro L. Manilia periodum ſumat: *Delenda vobis eſt, Quirites, illa macula Mithridatico bello ſuſcepta; quæ penitus jam inſedit, atq; inveteravit in populi Romani nomine: quòd is, qui uno die, totâ Aſiâ, tot in civitatibus, uno nuntio, atq; unâ literarum ſignificatione civeis Roma-*

*Romanoꝛnos necandos trucidandosq́; denotavit, non modò pœnam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum jam tertium & viceſimum regnat, atq; ita regnat, ut ſe non Ponto, neq; Cappadociæ latebris occultare velit, ſed emergere è patrio regno, atq; in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſiæ luce verſari.* Hanc uno ſpiritu totam pronunciare valdè foret difficile, &, fieri non poſſe, ipſemet exiſtimo. Sed diſcat eam pronunciare tribus reſpirationibus, quarum prima fiat poſt verba: *trucidandos denotavit*; ſecunda poſt: *annum tertium viceſimum regnat*; tertia poſt: *in Aſiæ luce verſari.* Hujus pronunciationis facilitatem nactus, duabus reſpirationibus tantùm eadem verba recitare laboret; quarum prima fiat poſt verba: *annum tertium & viceſimum regnat*; altera in fine periodi. Quòd ſi hoc nimis difficile eſt, memoriæ mandet hæc ejusdem Oratoris verba: *Non avaritia ab inſtituto curſu (Pompejum) ad prædam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non deniq; labor ipſe ad quietem:* atque ea uno ſpiritu recitare laboret, donec, quod deſiderat, efficiat, quod ipſa exercitatio, quantum ex mei ſpiritûs exemplo judicare poſſum, ei facilè reddet. c. 14.

§. VII. Idem ſtatuo de vocis varietate, deq́ue omnibus, quæ circa eam ad ſuavitatem pronunciationis obſervanda dixi. Auctor itaque ſum, ut legat, & memoriæ mandet præſtantiſſimorum Oratorum ſelectiſſima & pulcherrima quædam loca tàm veterum, quàm hodiernorum, ut illorum unam eandemq́ue periodum ſæpius recitet, donec eam ad regulas hujus artis pronunciare poſſit. Eodem modo ad reliquas pergat, quotidieq́ue ſe exerceat. *Pulcherrima quædam loca* ideò commendavi, quia minore cum tædio ea diſcet & recitabit. Obtinebit hoc præterea, quod non minùs pulchrum eſt, ut illuſtria illa optimorum dicendi Aucto-



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00111 DFG

rum apoſpaſmatia, quæ memoriæ mandavit, ipſi exempla ſint periodorum aptè componendarum: tantoq́ue magis ad imitationem excitatura, quò plus venuſtatis in illis deprehendet.

§. VIII. Denique ut has Pronunciandi & Agendi regulas etiam in familiari ſermone & quotidiano colloquio obſervare ſtudeat, ſuadeo, quantum quidem res patietur, donec perfectum habitum, qui ipſi quodammodo in naturam, ut ita dicam, tranſeat, adipiſcatur. Quòd ſi abſque alterius adminiculo ipſe hoc impetrare nequit, capiat hujus artis magiſtrum peritum, ſub cujus diſciplina ſe exerceat, & ab eo corrigi non patiatur ſolùm, ſed & delectetur, quoties contra has dicendi regulas peccaverit, ſive in Pronunciatione, ſive in Actione.

§. IX. Præterea celebres Oratores tàm Eccleſiaſticos, quàm Civiles audiendi avidiſſimus eſſe debet, obſervans, quid regulis conforme & conveniens habeant in Actione, quidnam in illis ſit, ob quod potiſſimum auditorum ſuorum applauſum mereantur, idq́ue imitari conetur. Nam, ut Auguſtinus dicit, eloquentia ingenio eloquentes audientium citiùs adhærebit, quàm dicendi præcepta tantùm ſequentium. Et exempla publica Oratorum ad geſtus & pronunciationem utiliora ſunt præceptis, quæ in ſcholis traduntur.

§. X. Sed, poſtquam hâc ratione & his adminiculis habitum talem ſibi comparavit, non ampliùs de pronunciatione, aut geſtu, erit ſollicitus, neque cogitare de eo inter dicendum, ne in præparatoria quidem orationum tàm civilium, quàm eccleſiaſticarum meditatione. Primo tantùm anno, cùm in publicum prodit, amicum ſincerum roget, ut obſervet & actionem, & vocis modulationem, totiusq́ue corporis motum, ut, ſi defectus notabilis fuerit deprehenſus, de eo moneat, & ita errorem corrigere laboret. Eâdem ratione, ſi fortè audiat aliorum cenſuras de ſua actione haud iniquas, eas in ſuam vertat utilitatem, nihilq́ue, quod Oratorem perfectum, & auditoribus ſuis gratum efficere poſſit, inſuper habeat, aut contemnat.

## *ADDENDA.*

Ipſius Malherbii verba, quorum mentio facta pag. 65., ſi quis malit, hæc ſunt: *Il eſt mort jeune, mais il eſt mort heureux. Ses amis ne l' ont guéres poſſedé, mais ſa mort eſt la ſeule douleur qu' ils ont jamais euë pour l' amour de luy. Il a peu joüy des douceurs du monde, mais il n' en a pas gouſté les amertumes. Il n' y a guéres fait de chemin, mais il n' y a marché que ſur des fleurs. Ce que la vie a de raboteux, d' aſpre & de piquant, eſtoit en ce reſte d' années qu' il n' a point veuës.* Item ibidem paulò pòſt: *Reconnoiſſez le monde pour un lieu où juſques à ceque vous ayez tout perdu, vous perdrez tous les jours quelque choſe; & de ces méditations faites un préjugé à voſtre belle ame, qu' ayant eu ſon origine du Ciel, elle eſt de celles qui auront quelque jour la grace d'y retourner.*

Ad p. 70. De erroribus, in pronunciatione à Gallicana plebe alicubi commiſſis, ita Auctor hujus libri ſcribit: *Il y a en chaque Province certaines pronunciations vicieuſes qui luy ſont particuliéres, ſoit pour la quantité des ſyllabes, comme il s' en trouve où l' on fait longue la première ſyllabe de* Valet, *d'* Habit, *de* Papier, *& bréve celle de* Teſte, *de* Paſté, *&c. ſoit pour le ſon des voyelles, comme il y en a qui employent l'*e *fermé ou maſculin, comme en* Pere, Mere, Frere; *ſoit pour l' éliſion de l'*e *où il ne faut pas l' élider, comme il y en a qui diſent* parl' il *au lieu de* parle-t-il; *ſoit pour l' addition de l'*e *où il ne doit point eſtre, comme il y a des lieux où l' on dit & écrit* l' eſplendeur, l' eſcandale, l' eſphere; *ſoit pour l'* s *que quelques-uns mettent où il n' y en doit point avoir, écrivant & prononçant* conſtraindre *au lieu de* contraindre, *& qu' ils omettent où elle doit eſtre, comme en* juſques *& en* preſques



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00113

*prononçant* juque & préque; *ſoit pour la lettre* h, *ne l' aſpirant point où il faut l' aſpirer; comme ceux qui diſent* l' hazard, l' harangue, l' halebarde. *Il y en a auſſi pluſieurs mauvaiſes parmy le menu peuple des Villes, meſme de celle où eſt d' ordinaire la Cour. Car il s' en trouve aujour d' huy à Paris, auſſi bien qu' autre fois à Athénes.*

Ad p. 71. in fine ejus cap. hæc leguntur: *Si vous finiſſez par celles-cy.* Ce n' eſt qu' une figure, un type & une ſimilitude, *& que vous les prononciez foiblement, elles mourront dans voſtre bouche, & ne parviendront pas à l' oreille de voſtre Auditeur, pour peu qu' il ſe trouve éloigné de vous, à cauſe du peu de ſon que rendent les* e, *les* i, *& les* u.

### *Ex Rhetoricorum ad Herennium libro III. de Pronunciatione, quæ traduntur, hîc addere placuit.*

PRONUNCIATIONEM multi maximè utilē Oratori dixerunt eſſe, & ad perſuadendū plurimùm valere. Nos quidē unum de quinque rebus plurimùm poſſe non facilè dixerimus; nec egregiè magnam eſſe utilitatem in pronunciatione, audacter confirmaverimus. Nam commodæ inventiones, & concinnæ verborum elocutiones, & partium cauſæ artificioſæ diſpoſitiones, & horum omnium diligens memoria, ſine pronunciatione, non plus, quàm ſine his rebus pronunciatio ſola valere poterit. Quare, quia nemo de ea re diligenter ſcripſit (nam omnes vix poſſe putârunt de voce, & vultu, & geſtu dilucidè ſcribi, cùm hæ res ad ſenſus noſtros pertinerent) & quia magnopere ea pars à nobis ad dicendum comparanda eſt, non negligenter videtur tota res conſideranda. Dividitur igitur pronunciatio in *vocis figuram*, & *corporis motum*. Figura vocis eſt, quæ ſuum quendam poſſidet habitum ratione & induſtriâ comparatum. Ea dividitur in treis parteis, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem.

Magni-

Magnitudinem vocis maximè comparat natura, nonnihil hanc auget, ſed maximè conſervat cura. Firmitudinem vocis maximè natura comparat, nonnihil adauget, & maximè conſervat exercitatio declamationis. Mollitudinem vocis, hoc eſt, ut eam *torquere* in dicendo pro noſtro commodo poſſimus, maximè faciet exercitatio declamationis. Quapropter de magnitudine vocis, & magnitudinis parte, quoniam altera natura, altera cura comparatur, nihil ad nos attinet commonere, niſi ut ab iis, qui non inſcii ſunt ejus artificii, ratio curandæ vocis petatur. De ea parte firmitudinis, quæ conſervatur ratione declamationis, & de mollitudine vocis, quæ maximè neceſſaria eſt Oratori, quoniam ea quoque moderatione declamationis comparatur, dicendum videtur. Firmam igitur maximè poterimus in dicendo vocem conſervare, ſi quàm maximè ſedata & depreſſa voce principia dicemus. Nam læduntur arteriæ, ſi, antequam leni voce permulſæ ſunt, acri clamore compleantur. Etiam intervallis longioribus uti conveniet. Recreatur enim vox ſpiritu, & arteriæ reticendo acquieſcunt. Et continuum clamorem remittere,& ad ſermonem tranſire oportet, (*commutationes* enim faciunt, ut nullo genere vocis effuſo in omni voce integri ſimus) & acutas vocis exclamationes vitare. Ictus enim fit, & vulnerantur arteriæ acuta, atque attenuata nimis acclamatione, &, ſi quis ſplendor eſt vocis, conſumitur uno clamore univerſus. Et uno ſpiritu continenter multa dicere in extrema convenit oratione. Fauces enim calefiunt, & arteriæ complentur, & vox, quæ variè tractata eſt, reducitur in quendam ſonum æquabilem atque conſtantem. Sæpe *rerum* naturæ, gratia quædam jure debetur, velut accidit in hac re. Nam quæ diximus ad vocem ſervandam prodeſſe, eadem attinent ad ſuavitatem pronunciationis: ut, quod noſtræ voci proſit, idem voluptate

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00115 DFG

ptate auditoris probetur. Utile eſt ad firmitudinem vocis ſedata vox in principio. Quid inſuavius, quàm clamor in exordio cauſæ? Intervalla vocem confirmant: eadem ſententias concinniores diviſione reddunt, & auditori ſpatium cogitandi relinquunt. Conſervat vocem continui clamoris remiſſio. Et auditorem quidem *varietas* maximè delectat; cùm ſermone animum ejus retinet, aut exſuſcitat clamore. Acuta exclamatio vocem & fauceis vulnerat: eadem lædit auditorem. Habet enim quiddam illiberale, & ad muliebrem potiùs vociferationem, quàm ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum. In extrema oratione continens vox remedio eſt voci. Quid? hæc eadem nonne animum vehementiſſimè calefacit auditoris in totius concluſione cauſæ? Quoniam igitur res eædem vocis firmitudini, & pronunciationis ſvavitudini proſunt, de utraque re ſimul erit in præſentia dictum, de firmitudine quæ viſa ſunt, de ſuavitate, quæ conjuncta fuerunt: cætera ſuo loco paulò pòſt dicemus. Mollitudo igitur vocis, quoniam omnis ad rhetoris præceptionem pertinet, diligentiùs nobis conſideranda eſt. Eam dividimus in ſermonem, contentionem, amplificationem. Sermo eſt oratio remiſſa, & finitima quotidianæ locutioni. Contentio eſt oratio acris, & ad confirmandum & confutandum accommodata. Amplificatio eſt oratio, quæ aut ad iracundiam inducit, aut ad miſericordiam *trahit* auditoris animum. Sermo dividitur in parteis quatuor, dignitatem, demonſtrationem, narrationem, jocationem. Dignitas eſt oratio cum aliqua gravitate & vocis remiſſione. Demonſtratio eſt, quæ docet remiſſa voce, quomodo quid fieri potuerit, aut non potuerit. Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum, expoſitio. Jocatio eſt oratio, quæ ex aliqua re *riſum* pudentem & liberalem poteſt comparare. Contentio dividitur in continua-

tinuationem & diſtributionem. Continuatio eſt orationis enunciandæ acceleratio clamoſa. Diſtributio eſt in contentione oratio frequens, cum raris & brevibus intervallis, acri vociferatione. Amplificatio dividitur in cohortationem & conqueſtionem. Cohortatio eſt, quæ, aliquod peccatum amplificans, auditorem ad *iracundiam* adducit. Conqueſtio eſt oratio, quæ incommodorum amplificatione animum auditoris ad *miſericordiam* perducit. Quoniam igitur mollitudo vocis in treis parteis diviſa eſt, & hæ partes ipſæ in octo parteis alias diſtributæ, harum octo partium quæ cujusque idonea pronunciatio ſit, demonſtrandum videtur. Sermo, cùm eſt in dignitate, plenis faucibus quàm ſedatiſſima & depresſisſima voce uti conveniet: ita tamen, ut ne ab oratoria conſuetudine ad tragicam tranſeamus. Cùm autem eſt in demonſtratione, voce paululùm attenuata, crebris intervallis, & diviſionibus uti oportebit: ut ipſa pronunciatione eas res, quas demonſtrabimus, inſerere atque interſecare videamur in animis auditorum. Cùm autem ſermo in narratione eſt, tum vocum *varietate* opus eſt, ut, quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari videatur. Strenuè quod volumus oſtendere factum, celeriuſculè dicemus: at aliud otiosè, retardabimus. Deinde modo acriter, tum clementer, mæſtè, hilariter in omneis parteis commutabimus, ut verba, ita pronunciationem. Siqua inciderint in narratione dicta, rogata, reſponſa, ſi quæ admirationes, de quibus nos narrabimus, diligenter animum advertemus, ut omnium *perſonarum* ſenſus atque animos voce exprimamus. Sin erit ſermo in jocatione, leniter tremebunda voce, cum parva ſignificatione riſus, ſine ulla ſuſpicione mimæ cachinnationis leniter oportebit à ſermone ſerio torquere ad liberalem jocum vocem. Cùm autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem, aut per diſtributionem faciendum



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00117 DFG

ciendum eſt, in continuatione, adaucto mediocriter ſono vocis, verbis continuandis, vocem quoque adaugere oportebit, & torquere ſonum, & celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio conſequi poſſit. In diſtributione vocem ab imis faucibus exclamatione quàm clariſſima adhibere oportet: & quantum ſpatii per ſingulas exclamationes ſumſerimus, tantum in ſingula intervalla ſpatii conſumere jubemur. In amplificationibus, cum cohortatione utemur voce *attenuatiſſima*, clamore leni, ſono æquali, commutationibus crebris, maxima celeritate. In conqueſtione utemur voce depreſſa, inclinato ſono, crebris intervallis, longis ſpatiis, magnis commutationibus. De figura vocis ſatis dictum eſt: nunc de corporis motu dicendum videtur. *Motus* eſt corporis geſtus, & vultûs moderatio quædam, quæ pronuncianti convenit, & probabiliora reddit ea, quæ pronunciantur. Convenit igitur in vultu pudorem & acrimoniam eſſe: In geſtu nec venuſtatem conſpicuam, nec turpitudinem eſſe, ne aut hiſtriones, aut operarii videamur eſſe. Ad easdem igitur parteis, in quas vox eſt diſtributa, motus quoque corporis ratio videtur eſſe accommodanda. Nam ſi erit ſermo cum dignitate, ſtanteis in veſtigio, levi dexteræ motu loqui oportebit; hilaritate, triſtitia, mediocritate vultûs ad ſermonis ſententias accommodata. Sin erit in demonſtratione ſermo, paululùm corpus à cervicibus demittemus. Nam hoc eſt à natura datum, ut quàm proximè tum vultum admoveamus *ad auditores*, ſi quam rem docere eos, & vehementer inſtigare velimus. Sin erit in narratione ſermo, idem motus poterit idoneus eſſe, qui paullò antè demonſtrabatur in dignitate. Sin in jocatione, vultu quandam debebimus hilaritatem ſignificare, ſine commutatione geſtûs. Si contendemus, per continuationem, brachio celeri, mobili vultu, acri

aſpectu utemur. Sin contentio fiet per diſtributionem, celeri porrectione brachii, inambulatione, pedis dextri rara ſupplauſione, acri & defixo aſpectu uti oportebit. Sin utemur amplificatione per cohortationem, paullò tardiore & conſideratiore geſtu conveniet uti, ſimilibus cæteris rebus, atque in contentione per continuationem. Sin utemur amplificatione per conqueſtionem, fœmineo plangore, & capitis ictu, nonnunquam ſedato & conſtanti geſtu, mæſto & conturbato vultu uti oportebit. Non ſum neſcius, quantum ſuſceperim negotii, quî motus corporis exprimere verbis, imitari ſcriptura conatus ſim voces. Verùm nec hoc confiſus ſum poſſe fieri, ut de his rebus ſatis commodè ſcribi poſſet: nec, ſi id fieri non poſſet, hoc, quod feci, fore inutile putabam, propterea quòd hîc admonere voluimus, quod oporteret: reliqua trademus exercitationi. Hoc ſcire tamen oportet, pronunciationem bonam id perficere, ut res *ex animo* agi videatur.

*Ex M. Fab. Quintiliani Inſtitut. Orator. libr. XI. cap. III.*

PRonunciatio à plerisque actio dicitur, ſed prius nomen à voce, ſequens à geſtu videtur accipere. Namque actionem Cicero aliàs ſermonem, aliàs eloquentiam quandam corporis dicit. Idem tamen duas ejus partes facit, quæ ſunt eædem pronunciationis, vocem atque motum. Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. Habet autem res ipſa miram quandam in orationibus vim ac poteſtatem. Neque enim tàm refert, qualia ſint, quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quàm quo modo efferantur; nam Ita quisque, ut audit, movetur. Quare neque probatio ulla, quæ modò venit ab Oratore, tàm firma eſt, ut non perdat vires ſuas, niſi adjuvetur aſſeveratione dicentis. Affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi voce, cultu, totius propè habitu corporis inardeſcant.

Libr 3. de Orat. & in Bruto.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00119 DFG

deſcant. Nam cùm hæc omnia fecerimus, felices; ſi tamen noſtrum illum ignem judex conceperit: ne dum eum ſupini ſecuriq́ue moveamus, non & ipſe noſtra oſcitatione ſolvatur. Documento ſunt vel ſcenici actores, qui & optimis Poëtarum tantum adjiciunt gratiæ, ut nos infinitè magis eadem illa audita, quàm lecta delectent, & viliſſimis etiam quibusdam impetrent aures: ut quibus nullus eſt in bibliothecis locus, ſit

Pronunciationis vis quanta.

etiam frequens in theatris. Quòd ſi in rebus, quas fictas eſſe ſcimus & inanes, tantum pronunciatio poteſt, ut iram, lacrymas, ſolicitudinem afferat, quantò plus valeat neceſſe eſt, ubi & credimus? Equidem vel mediocrem orationem commendatam viribus actionis, affirmaverim, plus habituram eſſe momenti, quàm optimam eandem illa deſtitutam. Si quidem

Cic. ubi ſupr.

& Demoſthenes, quid eſſet in toto dicendi ordine primum, interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemq́ue ſecundum ac tertium locum, donec ab eo quæri deſineret: ut eam videri poſſit non præcipuam, ſed ſolam judicâſſe. Ideoque ipſe tàm diligenter apud Andronicum Hipocriten ſtuduit, ut admirantibus ejus orationem Rhodiis, non immeritò Æſchines dixiſſe videatur, quid ſi ipſum audiſſetis? Et

Ibid. Cic.

M. Cicero unam in dicendo actionem dominari putat: Hâc Cn. Lentulum plus opinionis conſecutum, quàm eloquentia tradit. Eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi Romani lacrymas concitâſſe: Antonium & Craſſum multum valuiſſe; plurimum verò Q. Hortenſium:

Cic. in Bruto.

cujus rei fides eſt, quòd ejus ſcripta tantùm intra famam ſunt, qui diu princeps Oratorum, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus eſt, noviſſimè quoad vixit, ſecundus: ut appareat, placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus. Et hercle cùm valeant multum verba per ſe, & vox propriam vim adjiciat rebus, & geſtus motusq́ue ſignificet aliquid, profectò perfectum quiddam fieri, cùm omnia coierint,

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00120 DFG

coierint, neceſſe eſt. Sunt tamen qui rudem illam, & qualem impetus cujusque animi tulit, actionem judicent fortiorem, & ſolam viris dignam: ſed non alii ferè, quàm qui etiam in dicendo curam, & artem, & nitorem, & quicquid ſtudio paratur; ut affectata & parùm naturalia ſolent improbare, vel qui verborum atque ipſius etiam ſoni ruſticitate, ut L. Cottam dicit Cicero feciſſe, imitationem antiquitatis affectant. (Eod. libr. 3. de Orat. & in Bruto.) Verùm illi perſuaſione ſuâ fruantur, qui hominibus, ut ſint Oratores, ſatis putant naſci: noſtro labori dent veniam, qui nihil credimus eſſe perfectum, niſi ubi natura curâ juvetur. In hoc igitur non contumaciter conſentio, primas partes eſſe naturæ. Nam certè bene pronunciare non poterit, cui aut in ſcriptis memoria, aut in iis, quæ ſubitò dicenda erunt, facilitas prompta defuerit: nec ſi inemendabilia oris incommoda obſtabunt. Corporis etiam poteſt eſſe aliqua tanta deformitas, ut nullâ arte vincatur. Sed NE vox quidem, niſi liberalis, actionem habere optimam poteſt. Bonâ enim firmâq́e, ut volumus, uti licet: mala vel imbecilla & inhibet multa, ut inſurgere, exclamare: & aliqua cogit, ut ſummitere, deflectere & raucas fauces ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquimur, cui non fruſtra præcipitur.

Cùm ſit autem omnis actio, ut dixi, in duas diviſa partes, vocem, geſtumque: quorum † alter oculos, altera aures movet; per quos duos ſenſus omnis ad animum penetrat affectus: prius eſt de voce dicere: cui etiam geſtus accommodatur. († al. *quarum altera.*) In ea prima obſervatio eſt, qualem habeas: ſecunda, quomodo utaris. (Vox qualis requiratur, & quomodo ea utendum.) Natura vocis ſpectatur quantitate & qualitate. Quantitas ſimplicior eſt. In ſumma enim grandis aut exigua eſt: ſed inter has extremitates mediæ ſunt ſpecies, & ab ima ad ſummam, ac retro, multi ſunt gradus. Qualitas magis varia eſt. Nam eſt & candida & fuſca, & plena



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00121 DFG

Plin. libr. 28. cap. 6.

& exilis, & lenis & aſpera, & contracta & fuſa, & dura & flexibilis, & clara & obſcura. Spiritus etiam longior breviorque. Nec cauſas, cur quicque eorum accidat, perſequi, propoſito operi neceſſarium eſt: eorumne ſit differentia, in quibus aura illa concipitur, an eorum, per quæ velut organa meat, an ipſi propria natura, an prout movetur lateris pectoriſve firmitas, an capitis etiam plus adjuvet. Non † opus eſt omnibus, ſicut non oris modò ſuavitate, ſed narium quoque, per quas quod ſupereſt vocis egeritur. Dulcis tamen eſſe debet, non exprobrans ſonus. Utendi voce multiplex ratio. Nam præter illam differentiam, quæ eſt tripartita, acutæ, gravis, flexæ: tum intentis, tum remiſſis, tum elatis, tum inferioribus modis opus eſt, ſpatiis quoque lentioribus aut citatioribus. Sed iis ipſis media interjacent multa: & Ut facies, quanquam ex pauciſſimis conſtat, infinitam habet differentiam: ita vox, etſi paucas, quæ nominari poſſint, continet ſpecies, propria cuique eſt: & non hæc minùs auribus, quàm oculis illa dignoſcitur. Augentur autem ſicut omnium, ita vocis quoque bona, curâ, & negligentiâ minuuntur. Sed cura non omnibus Oratoribus, quæ phonaſcis, convenit: tamen multa ſunt viriſque communia, firmitas corporis, ne ad ſpadonum & mulierum & ægrorum exilitatem vox noſtra tenuetur: quod ambulatio, unctio, Veneris abſtinentia, facilis ciborum digeſtio, id eſt, frugalitas, præſtat. Præterea ut ſint fauces integræ, id eſt, molles ac lenes, quarum vitio & frangitur, & exaſperatur, & ſcinditur vox. Nam ut tibiæ eodem ſpiritu accepto, alium clauſis, alium apertis foraminibus, alium non ſatis purgatæ, alium quaſſæ ſonum reddunt: ita fauces tumentes ſtrangulant vocem, obtuſæ obſcurant, raſæ exaſperant, convulſæ fractis ſunt organis ſimiles. Finditur etiam ſpiritus objectu aliquo, ſicut lapillo tenues aquæ, quarum fluxus etiam ſi

† al. Num.

ultra

ultra paulùm coit, aliquid tamen cavi relinquit poſt idipſum, quod offenderat. Humor quoque vocem ut nimius impedit, ita conſumptus deſtituit. Nam & fatigatio corpora non ad præſens modò tempus, ſed etiam in futurum afficit. Sed ut communiter & phonaſcis, & Oratoribus neceſſaria eſt exercitatio, quâ omnia invaleſcunt, ita curæ non idem genus eſt. Nam neque certa tempora ad ſpatiandum dari poſſunt tot civilibus officiis occupato, nec præparare ab imis ſonis vocem ad ſummos, nec ſemper à contentione concedere † licet, cùm pluribus judiciis ſæpe dicendum ſit. Ne ciborum quidem eadem eſt obſervatio. Non enim tàm molli teneráque voce, quàm forti ac durabili opus eſt: cùm illi omnes etiam altiſſimos ſonos leniant cantu oris, nobis pleraque aſperè ſint concitateque dicenda, vigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibenda, & inſudatâ veſte durandum. Quare vocem delitiis non molliamus, nec imbuatur ea conſuetudine, quæ duratura non ſit: ſed exercitatio talis ſit, qualis uſus: nec ſilentio ſubſidat, ſed firmetur conſuetudine, quâ difficultas omnis levatur. Ediſcere autem quo exerceatis, erit optimum; (nam ex tempore dicenti avocatur cura vocis, ille qui ex rebus ipſis concipitur affectus;) & ediſcere quàm maximè varia, quæ & clamorem, & diſputationem, & ſermonem, & flexus habeant, ut ſimul in omnia paremur. Hoc ſatis eſt, alioqui nitida illa & curata vox inſolitum laborem recuſabit, ut aſſueta gymnaſiis, & oleo corpora, quamlibet ſint in ſuis certaminibus ſpecioſa atque robuſta, ſi militare iter, faſceſque & vigilias imperes, deficiant, & quærant unctores ſuos, nudumque ſudorem. Illa quidem in hoc opere præcipi quis ferat, vitandos ſoles atque ventos, & nubila etiam atque ſiccitates? Ita ſi dicendum in ſole, aut ventoſo, humido, calidove die fuerit, reos deſeremus? Nam crudum quidem, aut ſaturum, aut ebrium, aut ejecto

modò

† al. *conquieſcere.*

Conſuetudinis vis.

modò vomitu, quæ cavenda quidam monent, declamare neminem, qui ſit mentis compos, puto. Illud non ſine cauſa eſt ab omnibus præceptum, ut parcatur maximè voci in illo à pueritia in adoleſcentiam tranſitu; quia naturaliter impeditur, non, ut arbitror, propter calorem, quod quidam putaverunt; (nam eſt major aliis:) ſed propter humorem potiùs. Nam hoc ætas illa turgeſcit. Itaque nares etiam, ac pectus, eo tempore tument; atque omnia velut germinant, tenera, & injuriæ obnoxia.

Exercitatio vocis utilis.

Sed ut ad propoſitum redeam, jam confirmatæ conſtitutæque vocis genus exercitationis optimum duco, quod eſt operi ſimillimum, dicere quotidie ſicut agimus. Namque hoc modo non vox tantùm confirmatur & latus, ſed etiam corporis decens & accommodatus orationi motus componitur. Non alia eſt autem ratio pronunciationis, quàm ipſius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta eſſe debet: ita hæc quoque emendata erit, id eſt, vitio carebit, ſi fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum; id eſt, in quo nulla neque ruſticitas, neque peregrinitas reſonet. Non enim ſine cauſa dicitur barbarum, Græcumve. Nam Sonis homines, ut æra tinnitu, dignoſcimus. Ita fiet illud, quod Ennius probat, cùm dicit, *ſuaviloquenti ore Cethegum fuiſſe*: non quod Cicero in iis reprehendit, quos ait latrare, non agere. Sunt enim multa vitia, de quibus dixi, cùm in quadam primi libri parte puerorum ora formarem, opportuniùs ratus in ea ætate facere illorum mentionem, in qua emendari poſſunt. Itaque ſit ipſa vox primùm, (ut ſic dicam) ſana; id eſt, nullum eorum, de quibus nunc dixi, patiatur incommodum: deinde non ſubſurda, rudis, immanis, dura, rigida, vana, † præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, puſilla, mollis, effœminata: ſpiritus nec brevis, nec parùm durabilis, nec

Cicer. in Brut. lib. 1. c. 1. & 5.

† al. *Varia.*

in

in receptu difficilis. Dilucida verò erit pronunciatio, primùm, ſi verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars deſtitui ſolet, pleriſque extremas ſyllabas non proferentibus, dum priorum ſono indulgent. UT eſt autem neceſſaria verborum explanatio, ita omnes computare & velut annumerare literas, moleſtum & odioſum. Nam & vocales frequentiſſimè coëunt, & conſonantium quædam inſequente vocali diſſimulantur. Utriuſque exemplum poſuimus. *Multum ille & terris*, — Æneid. 1.

Vitatur etiam duriorum inter ſe congreſſus, unde *pellexit*, & *collegit*, & quæ alio loco dicta ſunt. Ideoque laudatur in Catulo ſuavis appellatio literarum. Secundum eſt, ut ſit oratio diſtincta; id eſt, ut qui dicit, & incipiat ubi oportet, & deſinat. Obſervandum etiam, quo loco ſuſtinendus & quaſi ſuſpendendus ſermo ſit (quam Græci ὑποδιαστολὴν † vel ὑποστιγμὴν vocant) quo deponendus. Suſpenditur, *Arma virumq; cano* — — — † al. ὑποστο-λήν. Æneid. 1.

Quia illud *virum*, ad ſequentia pertinet: ut ſit, *virum*, *Trojæ qui primus ab oris*. Et hic iterum. Nam, etiamſi aliud eſt, unde venit, quàm quo venit, non diſtinguendum tamen, quia utrumque eodem verbo continetur, *venit*. Tertiò *Italiam*, quia interjectio eſt, *fato profugus*, & continuum ſermonem qui faciebat, *Italiam*, *Lavinaq;* dividit. Ob eandemque cauſam, quartò *profugus*, deinde, *Lavinaq; venit littora*; ubi jam erit diſtinctio, quia inde alius incipit ſenſus. Sed in ipſis etiam diſtinctionibus tempus aliàs brevius, aliàs longius dabimus. Intereſt enim, ſermonem finiat, an ſenſum. Itaque illam diſtinctionem *Littora*, protinus altero ſpiritus initio inſequar, cùm illuc venero, — *Atq; altæ mœnia Romæ*, deponam, & morabor, & novum rurſus exordium faciam. Sunt aliquando & ſine reſpiratione quædam moræ etiam in periodis: ut in illa, *In cœtu verò populi Romani, ne-* Philipp. 2.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00125 DFG

*gotium publicum gerens, magiſter equitum, &c.* Multa habent membra. Senſus enim ſunt alii atque alii: & ſicut una circumductio eſt, ita paulùm morandum in his intervallis, non interrumpendus eſt contextus: & è contrario ſpiritum interim recipere ſine intellectu moræ neceſſe eſt: quo loco quaſi ſurripiendus eſt; alioqui ſi inſcitè recipiatur, non minus afferat obſcuritatis, quàm vitioſa diſtinctio. Virtus autem diſtinguendi fortaſſe ſit parva, ſine qua tamen eſſe nulla alia in agendo poteſt. Ornata eſt pronunciatio, cui ſuffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecans aëra, auribus ſedens. Eſt enim quædam ad auditum accommodata, non magnitudine, ſed proprietate, ad hoc velut tractabilis, utique habens omnes in ſe qui deſiderantur ſonos intentionesque, & toto (ut ajunt) organo inſtructa: cui aderit lateris firmitas, ſpiritus cum ſpatio pertinax, tum labori non facilè ceſſurus. Neque graviſſimus, ut in Muſica, ſonus, nec acutiſſimus orationibus convenit. Nam & hic parùm clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum poteſt: & ille prætenuis, & immodicæ claritatis, cùm eſt ultra verum, tùm neque pronunciatione flecti, neque diutiùs ferre intentionem poteſt. Nam Vox, ut nervi, quo remiſſior, hoc & gravior & plenior: quo tenſior, hoc tenuis & acuta magis eſt. Sic ima vim non habet, ſumma rumpi periclitatur. Mediis igitur utendum ſonis: hîcque, cùm augenda intentio eſt, excitandi: cùm ſubmittenda, ſunt temperandi. Nam prima eſt obſervatio rectè pronunciandi æqualitas, ne ſermo ſubſultet imparibus ſpatiis ac ſonis, miſcens longa brevibus, gravia acutis, elata ſummiſſis: & inæqualitate horum omnium, ſicut pedum, claudicet. Secunda varietas eſt, quæ † ſolùm eſt pronunciatio: ne quis pugnare inter ſe putet æqualitatem & varietatem: cùm illi virtuti contrarium ſit vitium inæqualitas: huic, qui

† *al. quod.*

dicitur

dicitur μονοειδὴς, quaſi quidam unus aſpectus. Aut porrò variandi cùm gratiam præbet, ac renovat aures, tùm dicentem ipſâ laboris mutatione reficit: ut ſtandi, ambulandi, ſedendi, jacendi vices ſunt, nihilque eorum pati unum diu poſſumus. Illud verò maximum (ſed id paulò pòſt tractabimus,) quod ſecundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda vox eſt, ne ab oratione diſcordet.

Vitemus igitur illam, quæ Græcè μονοτονία vocatur, una quædam ſpiritûs ac ſoni intentio: non ſolùm ne dicamus omnia clamoſè, quod inſanum eſt: aut intra loquendi modum, quod motu caret: aut ſummiſſo murmure: quo etiam debilitatur omnis intentio; ſed ut in iisdem partibus, iisdemque affectibus, ſint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut ſententiarum natura, aut depoſitio, aut inceptio, aut tranſitus poſtulabit: ut qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, ſine quo ne membris quidem ſuas lineas dediſſent. Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobiliſſima pro Milone principium, nonne ad ſingulas penè diſtinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quaſi vultus mutandus eſt? *Etſi vereor, judices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere.* Etiam ſi eſt toto propoſito contractum atque ſummiſſum, quia & exordium eſt, & ſoliciti exordium: tamen fuerit neceſſe, eſſe aliquid plenius & erectius dum dicit, *Pro fortiſſimo viro*, quàm cum, *Etſi vereor*: &, *Turpe ſit*: &, *Timere*. Jam ſecunda reſpiratio increſcat oportet, naturali quodam conatu, quo minùs pavidè dicimus, quæ ſequuntur, & quo magnitudo animi Milonis oſtenditur; Minimeque deceat, cùm T. Annius ipſe magis de reipublicæ ſalute, quàm de ſua perturbetur. Deinde quaſi objurgatio ſui eſt, *Me ad ejus cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe.* Tum invidioſiora, *Tamen hæc*



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00127 DFG

*novi judicii nova forma terret oculos.* Illa verò jam penè apertis (ut ajunt) tibiis, *Qui quocunque inciderunt, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum requirunt.* Nam ſequens latum etiam atque fuſum eſt. *Non enim coronâ conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat.* Quod notavi, ut appareret non ſolùm in membris cauſæ, ſed etiam in articulis eſſe aliquam pronunciandi varietatem, ſine qua nihil neque majus, neque minus eſt. Vox autem ultra vires urgenda non eſt. Nam & ſuffocata ſæpe, & majore niſu minùs clara eſt, & interim eliſa, in illum ſonum erumpit, cui Græci κλωσμὸν nomen à gallorum immaturo cantu dederunt. Nec volubilitate nimiâ confundenda quæ dicimus: quâ & diſtinctio perit, & affectus, & nonnunquam etiam verba aliquâ ſui parte fraudantur. Cui contrarium eſt vitium nimiæ tarditatis. Nam & difficultatem inveniendi fatetur, & ſegnitia ſolvit animos, & in quo eſt aliquid, temporibus præfinitis † aquam perdit. Promptum ſit os, non præceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebrò receptus concidat ſententiam: nec eò usque trahatur, donec deficiat. Nam & deformis eſt conſumpti illius ſonus, & reſpiratio ſub aqua diu preſſi ſimilis, & receptus longior, & non opportunus, ut qui fiant non ubi volumus, ſed ut neceſſe eſt. Quare longiorem dicturis periodum, colligendus eſt ſpiritus: ita tamen, ut id neque diu, neque cum ſono faciamus, neq; omnino ut manifeſtum ſit, reliquis partibus optimè inter juncturas ſermonis revocabitur. Exercendus autem eſt, ut ſit quàm longiſſimus: quod Demoſthenes ut efficeret, ſcandens in adverſum continuabat, quàm poſſet, plurimos verſus. Idem quò faciliùs verba ore libero exprimeret calculos linguâ volvens dicere domi ſolebat. Eſt interim & longus, & plenus, & clarus ſatis ſpiritus; non tamen firmæ intentionis, ideoque tremulus; ut corpora, quæ aſpe-

† Alludit Quintil. ad rationem clepſydrarum.

De Or. I.

ctu

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00128

ctu integra, nervis parùm ſuſtinentur. Id βράγχον Græci vocant. Sunt, qui ſpiritum cum ſtridore per raritatem dentium non recipiunt, ſed reſorbent. Sunt, qui crebro anhelitu, & introrſum etiam clarè ſonante imitentur jumenta onere & jugo laborantia. Quod affectant quoque, tanquam inventionis copiâ urgeantur, majorque vis eloquentiæ ingruat, quàm quæ emitti faucibus poſſit. Eſt aliis concurſus oris, & cum verbis ſuis colluctatio. Jam tuſſire & exſpuere crebrò, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos ſpargere, & majorem partem ſpiritûs in eloquendo per nares effundere, etiam ſi non utique vocis ſunt vitia: quia tamen propter vocem accidunt, potiſſimùm huic loco ſubjicitur. Sed quodcunque ex his vitium magis tulerim, quàm quo nunc maximè laboratur in cauſis omnibus ſcholiſque, cantandi: quod inutilius ſit, an fœdius, neſciò. Quid enim minus Oratori convenit, quàm modulatio ſcenica, & nonnunquam ebriorum aut comeſſantium licentiæ ſimilis? Quid verò movendis affectibus contrarium magis, quàm cùm dolendum, iraſcendum, indignandum, commiſerandum ſit; non ſolùm ab iis affectibus, in quos inducendus eſt judex, recedere, ſed ipſam fori ſanctitatem, ludorum talarium licentiâ ſolvere? Nam Cicero illos ex Lycia & Caria rhetores † penè cantare in epilogis dixit. Nos etiam cantandi, ſeveriorem paulò modum exceſſimus. Quiſquamne, non dico de homicidio, ſacrilegio, parricidio; ſed de calculis certè atque rationibus; quiſquam denique (ut ſemel finiam) in lite cantat? Quod ſi omnino recipiendum eſt, nihil cauſæ eſt, cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, imò mehercule, quod eſt huic deformitati propius, cymbalis adjuvemus. Facimus tamen hoc libenter: nam nec cuiquam ſunt injucunda, quæ cantat ipſe, & laboris in hoc, quàm in agendo, minus

In Oratore.
† al. *rhetoras.*

O 3 eſt.

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00129 DFG

eſt. Et ſunt quidam, qui ſecundum alia vitæ vitia, etiam hac, ubique audiendi quod aures mulceat, voluptate ducan-
Ubi ſup. tur. Quid ergo? non & Cicero dicit eſſe aliquem in oratione cantum obſcuriorem? Et hoc quodam naturali vitio venit.

Oſtendam non multò pòſt, ubi & quatenus recipiendus ſit hic flexus, & cantus quidem, ſed (quod plerique in-
† al. *volunt.* telligere volunt †) obſcurior. Jam enim tempus eſt dicendi, quæ ſit apta pronunciatio. Quæ certè ea eſt, quæ iis, de quibus dicimus, accommodatur: quod quidem maxima ex parte præſtant ipſi motus animorum, ſonatque vox, ut feritur. Sed cùm ſint alii veri affectus, alii ficti & imitati: veri naturaliter erumpunt, ut dolentium, iraſcentium, indignantium: ſed carent arte, ideoque ſunt diſciplinæ traditione formandi. Contrà, qui effinguntur imitatione, artem babent: ſed hi carent naturâ: ideoque in his primum eſt bene affici, & concipere imagines rerum, & tanquam veris moveri. Sic velut media vox, quem habitum à noſtris acceperit, hunc judicum animis dabit. Eſt enim mentis index, ac velut exemplar, ac totidem, quot illa, mutationes habet. Itaque lætis in rebus plena, ſimplex, & ipſa quodammodo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus, & velut omnibus nervis intenditur. Atrox in ira, & aſpera ac denſa, & reſpiratione crebra. Neque enim poteſt eſſe longus ſpiritus, cùm immoderatè effunditur. Paululùm in
al. *lenior.* invidia facienda lentior, † quia non ferè ad hanc niſi inferiores confugiunt: at in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando, lenis & ſummiſſa. Suadentium, & monentium, & pollicentium, & conſolantium gravis. In metu & verecundia contracta, adhortationibus fortis, diſputationibus teres, miſeratione flexa & flexibilis, & conſulto quaſi obſcurior: at in egreſſionibus fuſa, & ſecuræ claritatis; in expoſitione ac ſermonibus recta, & inter acutum

ſonum

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00130 DFG

ſonum & gravem media. Attollitur autem concitatis affectibus, compoſitis deſcendit, pro utriusque rei modo altiùs vel inferius.

Quid autem quisque in dicendo poſtulet locus, paulùm differam, ut de geſtu priùs dicam: qui & ipſe voci conſentit, & animo cum ea ſimul paret. Is quantum habeat in Oratore momenti, ſatis vel ex eo patet, quòd pleraque etiam citra verba ſignificat. Quippe non manus ſolùm, ſed nutus Cic. in Partit. etiam declarant noſtram voluntatem, & in mutis pro ſermone ſunt, & ſalutatio frequenter ſine voce intelligitur atque afficit, & ex ingreſſu vultuque perſpicitur habitus animorum: & animalium quoque, ſermone carentium, ira, lætitia, adulatio, & oculis, & quibusdam aliis corporis ſignis deprehenditur. Nec mirum, ſi iſta, quæ tamen in aliquo ſunt poſita motu, tantum in animis valent, quum pictura tacens opus, & habitus ſemper ejusdem, ſic in intimos penetret affectus, ut ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur. Contrà ſi geſtus ac vultus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes, non auctoritas modò verbis, ſed etiam fides deſit. Decor quoque à geſtu atque motu venit. Ideoque Demoſthenes grande quoddam intuens ſpeculum, componere actionem ſolebat. Adeò quamvis fulgor ille ſiniſtras imagines reddat, ſuis demum oculis credidit, quod efficeret. Præcipuum verò in actione, ſicut in corpore ipſo, caput eſt; cùm ad illum, de quo dixi, decorem, tùm etiam ad ſignificationem decoris illa ſunt, ut ſit primò rectum, & ſecundum naturam. Nam & dejecto humilitas, & ſupino arrogantia, & in latus inclinatio languor, & præduro ac rigente barbaria quædam mentis oſtenditur. Tum accipiat aptos ex ipſa actione motus, ut cum geſtu concordet, & manibus ac lateribus obſequatur. Aſpectus enim ſemper eodem vertitur,

quò

quò geſtus, exceptis quæ aut damnare, aut non concedere, aut à nobis removere oportebit: ut idem illud vultu videamur averſari, manu repellere:

Æneid. 3. — *Dii talem terris avertite peſtem.*

Et:

Æneid. 1. — *Haud equidem tali me dignor honore.*

Significat verò plurimis modis. Nam præter annuendi, renuendi, confirmandique motus, ſunt & verecundiæ, & dubitationis, & admirationis, & indignationis noti & communes omnibus. Solo tamen eo facere geſtum ſcenici quoque doctores vitioſum putaverunt. Etiam frequens ejus nutus non caret vitio: adeò jactare id, & comas excutientem rotare, phanaticum eſt. Dominatur autem maximè vultus. Hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſummiſſi ſumus. Hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc ſpectant etiam, antequam dicamus. Hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus. Hic eſt ſæpe pro omnibus verbis. Itaque in iis, quæ ad ſcenam componuntur, fabulis, artifices pronunciandi à perſonis quoque affectus mutantur: ut ſit Niobe in tragœdia triſtis, atrox Medea, attonitus Ajax, truculentus Hercules. In comœdiis verò præter aliam obſervationem, quâ ſervi, lenones, paraſiti, ruſtici, milites, vetulæ, meretriculæ, ancillæ, ſenes auſteri ac mites, juvenes ſeveri ac luxurioſi, matronæ, puellæ inter ſe diſcernuntur: pater ille, cujus præcipuæ partes ſunt, quia interim concitatus, interim lenis eſt, altero erecto, altero compoſito eſt ſupercilio. Atque id oſtendere maximè Latinis auctoribus moris eſt, quod cum iis, quas agunt, partibus congruat. Sed in ipſo vultu plurimum valent oculi, per quos maximè animus emanat, ut citra motum quoque & hilaritate eniteſcant, & triſtitiâ quoddam nubilum ducant. Quin etiam lachrymas

his

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00132 DFG

his natura mentis indices dedit: quæ aut erumpunt dolore, aut lætitiâ manant. Motu verò intenti, remiſſi, ſuperbi, torvi, mites, aſperi fiunt: quæ, ut actus popoſcerit, finguntur. Rigidi verò & extenti, aut languidi & torpentes, aut ſtupentes, aut laſcivi & mobiles, aut natantes, & quâdam voluptate ſuffuſi, aut limi, & (ut ſic dicam) venerei aut poſcentes aliquid, pollicentesve nonnunquam eſſe debebunt. Nam opertos compreſſosve eos in dicendo, quis niſi planè rudis aut ſtultus habeat? Et ad hæc omnia exprimenda in palpebris etiam & in genis eſt quoddam deſerviens his miniſterium. Multum & *ſuperciliis* agitur. Nam & oculos formant aliquatenus, & fronti imperant. His contrahitur, attollitur, dimittitur: ut una res in ea plus valeat, ſanguis ille, qui mentis habitu movetur, & cum infirma verecundia cutem accipit, effunditur in ruborem: cum metu refugit, abit omnis, & pallore frigeſcit: temperatus, medium quoddam ſerenum efficit. Vitium in ſuperciliis, ſi aut immota ſunt omnino, aut nimiùm mobilia, aut inæqualitate (ut modò de perſona comica dixeram) diſſident, aut contra id, quod diximus, finguntur. Ita enim contractis, triſtitia deductis, hilaritas remiſſis oſtenditur. Annuendi quoque & renuendi ratione demittuntur, aut allevantur. *Naribus labrisq;* non ferè quicquam decenter oſtendimus; tametſi deriſus, contemptus, faſtidium ſignificari ſolet. Nam & corrugare nares (ut Horatius ait) & Sermon. 2, inflare, & movere, & digito inquietare, & impulſu ſubito ſpiritum excutere, & diducere ſæpius, & plena manu reſupinare, indecorum eſt: cùm emunctio etiam frequentior non ſine cauſa reprehendatur. *Labra* & porriguntur malè, & ſcinduntur, & adſtringuntur, & diducuntur, & dentes nudant, & in latus ac penè in aurem trahuntur, & velut

P quodam

quodam faſtidio replicantur, & pendent, & vocem tantùm alterâ parte dimittunt. Lambere quoque ea & mordere, deforme eſt: cùm etiam in efficiendis † verbis modicus eorum eſſe debeat motus. Ore enim magis, quàm labris loquendum eſt. *Cervicem* rectam oportet eſſe, non rigidam aut ſupinam. Collum diversâ quidem, ſed pari deformitate & contrahitur, & tenditur: ſed tenſo ſubeſt & labor, tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori *mentum*, minùs claram, & quaſi latiorem preſſo gutture facit. *Humerorum* raró decens allevatio atque contractio eſt. Breviatur enim cervix, & geſtum quendam humilem atque ſervilem & quaſi fraudulentum facit, cùm ſe in habitum adulationis, admirationis, metûs, fingunt. *Brachii* moderata *projectio* remiſſis humeris, atque explicantibus ſe in proferenda manu digitis, continuos & decurrentes locos maximè decet. At cùm ſpecioſiùs quid uberiusque dicendum eſt, ut illud, *Saxa atq; ſolitudines voci reſpondent*, expatiatur in latus, & ipſa quodammodo ſe cum geſtu fundit oratio. *Manus* verò, ſine quibus trunca eſſet actio ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant, cùm penè ipſam verborum copiam perſequantur. Nam cæteræ partes loquentem adjuvant, hæc (propè eſt ut dicam) ipſæ loquuntur. At non his poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? ſupplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus, oſtendimus? Non eædem concitant? ſupplicant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur? Non in demonſtrandis locis atque perſonis, adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? ut in tanta per omnes gentes nationesque linguæ diverſitate, hic mihi omnium hominum communis ſermo videatur. Et ii quidem,

† al. *efferendis.*

Pro Archia.

quidem, de quibus ſum locutus, cum ipſis vocibus naturaliter exeunt geſtus: alii ſunt, qui res imitatione ſignificant: ut ſi ægrum tentantis venas Medici ſimilitudine, aut citharœdum formatis ad modum percutientis nervos manibus oſtendas, quod eſt genus quàm longiſſimè in actione fugiendum. Abeſſe enim plurimùm à ſaltatore debet Orator, ut ſit geſtus ad ſenſus magis, quàm ad verba accommodatus: quod etiam hiſtrionibus paulò gravioribus facere moris fuit. Ergò ut ad ſe manum referre, cùm de ſe ipſo loquatur, & in eum, quem demonſtret, intendere, & aliqua his ſimilia permiſerim: ita non effingere ſtatus quosdam, & quicquid dicet, oſtendere. Neque id in manibus ſolùm, ſed in omni geſtu ac voce ſervandum eſt. Non enim aut in illa periodo, *Stetit ſoleatus Prætor populi Romani*, inclinatio incumbentis in mulierculam Verris effingenda eſt: aut in illa, *Cædebatur in medio foro Meſſanæ*: motus laterum, qualis eſſe ad verbera ſolet, torquendus: aut vox, qualis dolore exprimitur, eruenda. Cùm mihi Comœdi quoque peſſimè facere videantur, qui, etiamſi juvenem agant, cùm tamen in expoſitione aut ſenis ſermo, ut in Hydriæ prologo: aut mulieris, ut in Georgo, incidit; tremulâ vel effœminatâ voce pronunciant. Adeò in illis quoque eſt aliqua vitioſa imitatio, quorum ars omnis conſtat imitatione. Eſt autem geſtus ille maximè communis, quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus, & principiis utilis cum leni in utramque partem motu modicè prolatus, ſimul capite atque humeris ſenſim ad id, quò manus feratur, obſecundantibus: & in narrando certus, ſed tum paulò productior: & in exprobrando & arguendo acer atque inſtans. Longiùs enim partibus his & liberiùs exeritur. Vitioſè verò idem ſiniſtrum quaſi humerum petens in latus agi ſolet: quanquam adhuc pejùs aliqui transverſum brachium proferunt,

Act. 7.

In eadem.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00135 DFG

ferunt,& cubito pronunciant.*** Tolli autem manum artifices ſupra oculos, demitti infra pectus vetant: adeò à capite eam petere, aut ad imum ventrem deducere vitioſum habetur. Ad ſiniſtram intra humerum promovetur, ultrà non decet. Sed cùm averſantes in lævam partem velut propellemus manum, ſiniſter humerus proferendus, ut cum capite ad dextram ferente conſentiat. Manus ſiniſtra nunquam ſola geſtum rectè facit: dextræ ſe frequenter accommodat, ſive in digitos argumenta digerimus, ſive averſis in ſiniſtrum palmis abominamur, ſive objicimus adverſas, ſive in latus utramque diſtendimus, ſive ſatisfacientes, aut ſupplicantes. Diverſi autem ſunt hi geſtus, ſive ſummittimus, ſive adorantes attollimus, ſive aliqua demonſtrationi aut invocationi protendimus, *Vos, Albani tumuli atq; luci.* Aut Gracchanum illud: *Quò me miſer conferam? quò vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. An domum? matremne ut miſeram lamentantemq; videam & abjectam.* Plus enim affectûs in his junctæ exhibent manus. In rebus parvis, triſtibus, mitibus, breves, magnis, lætis, atrocibus, extenſiores ſunt.***

Cic. pro Milon. & de Orator 3.

Hæc ſunt vel illuſtramenta pronunciationis, vel vitia: quibus propoſitis, multa cogitare debet Orator. Primùm, quid, apud quos, quibus præſentibus ſit acturus. Nam ut dicere alia aliis, & apud alios magis convenit: ſic etiam facere. Neque eadem in voce, geſtu, inceſſu; apud principem, ſenatum, populum, magiſtratum, privato, publico judicio, poſtulatione, actione ſimiliter decent. Quam differentiam ſubjicere ſibi quisque, qui animum intenderit, poteſt; tum qua de re dicat, & efficere quid velit. Rei quadruplex obſervatio eſt. Una in tota cauſa. Sunt enim triſtes, hilares, ſolicitæ, ſecuræ, grandes, puſillæ, ut vix unquam ita ſolicitari partibus earum debeamus, ut non

ſummæ

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00136 DFG

ſummæ meminerimus. Altera, quæ eſt in differentia partium, ut in procœmio, narratione, argumentatione, epilogo. Tertia, in ſententiis ipſis, in quibus ſecundum res & affectus variantur omnia. Quarta in verbis, quorum ut eſt vitioſa, ſi efficere omnia velimus, imitatio: ita quibusdam, niſi ſua natura redditur, vis omnis aufertur. Igitur in laudationibus (niſi ſi funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, ſimilibusque, læta, & magnifica, & ſublimis eſt actio. Funebres conciones, conſolationes, plerumque cauſæ reorum, triſtes atque ſummiſſæ. In ſenatu conſervanda auctoritas, apud populum dignitas, in privatis, modus. De partibus cauſæ, & ſententiis verbisque, quæ ſunt multiplicia, pluribus dicendum. Tria autem præſtare debet pronunciatio: conciliet, perſuadeat, moveat: quibus natura cohæret, ut etiam delectet. Conciliatio ferè aut commendatione morum (qui neſcio quomodo ex voce etiam atque actione perlucent) aut orationis ſuavitate conſtat. Perſuadendi vis aſſeveratione, quæ interim plus ipſis probationibus valet. *An iſta* (inquit Callidio Cicero) *ſi vera eſſent, ſic à te dicerentur?* &, *Tantum abeſt, ut inflammaret noſtros animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus?* Fiducia igitur appareat, & conſtantia, utiq; ſi autoritas ſubeſt. Movendi autem ratio aut in repræſentandis eſt, aut imitandis affectibus. *** Procœmio frequentiſſimè lenis convenit pronunciatio. Nihil eſt enim ad conciliandum gratius verecundiâ: non tamen ſemper. Nec enim uno modo dicuntur exordia, ut docui. Plerumque tamen & vox temperata, ac geſtus modeſtus, & ſedens humero toga, & laterum lenis in utramque partem motus, eodem ſpectantibus oculis decebit. Narratio magis prolatam manum, amictum recidentem, geſtum diſtinctum, vocem ſermoni proximam, ac tantum apertiorem † † al. acriorem

ſonum ſimplicem frequentiſſimè poſtulabit; in his duntaxat, *Quintus igitur Ligarius cùm eſſet adbuc nulla belli ſuſpicio.* &, *A. Cluentius babitus pater bujusce.* Aliud in eadem poſcunt affectus vel concitati, *Nubit genero ſocrus.* vel flebiles, *Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum & miſerum toti Aſiæ provinciæ.* Maximè varia & multiplex actio eſt probationum. Nam & proponere, partiri, interrogare, ſermoni ſunt proxima, & contradictionem ſumere: nam ea quoque diverſa propoſitio eſt. Sed hæc tamen aliquando irridentes, aliquando imitantes pronunciamus. Argumentatio plerumque agilior, & acrior, & inſtantior; conſentientem orationi poſtulat etiam geſtum, id eſt, fortem celeritatem. Inſtandum quibusdam in partibus & denſanda oratio. Egreſſiones ferè lenes, & dulces, & remiſſæ, ut raptus Proſerpinæ, Siciliæ deſcriptio, Cn. Pompeji laus. Neque eſt mirum, minus habere contentionis ea, quæ ſunt extra quæſtionem. Mollior nonnunquam cum reprehenſione diverſæ partis imitatio, *Videbar videre alios intrantes, alios autem exeuntes, quosdam ex vino vacillantes.* Ubi non diſſidens à voce permittitur geſtus; quo fit in utramque partem tenera quædam, ſed intra manus tamen, & ſine motu laterum translatio. * * *

Pro Ligario. Pro Cluentio. Act. 3.

Quia in partibus cauſæ etiam aliis eſt varietas, ſatis apparet, accommodandam ſententiis ipſis pronunciationem, ſicut oſtendimus. Sed verbis quoque, quod noviſſimè dixeram, non ſemper, ſed aliquando. *An non hæc, miſellus & pauperculus, ſummiſſa atq; contracta:* Fortis, & vehemens, & latro, erectâ & concitatâ voce dicenda ſunt? Accidit enim vis & proprietas rebus tali adſtipulatione: quæ niſi adſit, aliud vox, aliud animus oſtendat. Quid, quòd eadem verba mutatâ pronunciatione indicant, affirmant,

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00138 DFG

mant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irrident, elevant? Aliter enim dicitur,

*Tu mihi quodcunque hoc regni* — &, Æneid. 1.
*Cantando tu illum?* — &, *Tune ille Æneas?* &, Eclog. 3.
— *Meq; timoris*, *Argue tu Drance.* Æneid. 9. & 11.

Et ne morer, intra ſe quisque vel hoc, vel aliud quod volet, per omnes affectus verſet: verum eſſe quod dicimus, ſciet. Unum jam his adjiciendum eſt, cùm præcipuè in actione ſpectetur decorum, ſæpe aliud alios decere. Eſt enim latens quædam in hoc ratio, & inenarrabilis: & ut verè hoc dictum eſt, caput eſſe artis, *Decere quod facias*: ita id neque ſine arte eſſe, neque totum arte tradi poteſt. In quibusdam virtutes non habent gratiam, in quibusdam vitia ipſa delectant. Maximos actores comœdiarum, Demetrium & Srratoclem, † placere diverſis virtutibus vidimus. Sed illud minùs mirum, quòd alter deos, & juvenes: & bonos patres, ſervosque, & matronas, & graves anus optimè: alter acres ſenes, callidos ſervos, paraſitos, lenones, & omnia agitatiora meliùs. Fuit enim natura diverſa. Nam vox quoque Demetrii jucundior, illius acrior erat. Annotandæ magis proprietates, quæ transferri non poterant, manus jactare, & dulces exclamationes theatri causâ producere, & ingrediendo ventum concipere veſte, & nonnunquam dextro latere facere geſtus: quod neminem alium præter Demetrium decuit: namque in hæc omnia, ſtaturâ & mirâ ſpecie adjuvabatur. Illum curſus, & agilitas, & vel parùm conveniens perſonæ riſus, (quem non ignarus rationis populo dabat) & contracta etiam cervicula. Quicquid horum alter feciſſet, fœdiſſimum videtur. Quare Norit ſe quisque, nec tantùm ex communibus præceptis, ſed etiam ex natura ſua capiat con-

† al. *Stratocles.*

© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00139 DFG
Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale 0 1 2 3 4

at conſilium formandæ actionis. Neque illud tamen eſt nefas, ut aliquem vel omnia, vel plura deceant. Hujus quoque loci clauſula ſit eadem neceſſe eſt, quæ cæterorum eſt, regnare maximè modum. Non enim comœdum eſſe, ſed Oratorem volo. Quare neque in geſtu perſequemur omnes argutias, nec in loquendo diſtinctionibus, temporibus, affectionibus moleſtè utemur: ut ſi ſit in ſcena dicendum,

Terent. in Eunuch.

*Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem*
*Cùm arceſſor ultrò? an potiùs ita me comparem,*
*Non perpeti meretricum contumelias.*

Hìc enim dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diverſos nutus actor adhibebit. Aliud oratio ſapit, nec vult nimiùm eſſe condita. Actione enim conſtat, non imitatione. Quare non immeritò reprehenditur pronunciatio vultuoſa, & geſticulationibus moleſta, & vocis mutationibus reſultans. Nec inutiliter ex Græcis veteres tranſtulerunt, quod ab his ſumptum Lenas Popilius poſuit, eſſe hanc inotioſam actionem. Optimè igitur idem, qui omnia, Cicero præceperat, quæ ſuprà ex Oratore poſui: quibus ſimilia in Bruto de Marco Antonio dicit. Sed jam recepta eſt actio paulò agitatior; & exigitur, & quibusdam partibus convenit: ita tamen temperanda, ne, dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni & gravis auctoritatem.

Hoc eod. cap

INDEX

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00140 DFG

# INDEX
## Rerum memorabilium.

A.

Actio *Rhetoricæ pars non infima, pag. 2. ſine ea reliqua Oratoriæ partes quaſi mortua ſunt, ib. hac ſermoni ultimam perfectionem largitur, p. 2.& 3.. qui hac ſola præſtant, melius agunt, ſi non publicant ſuas orationes, p. 3.*

Actio *eſt corporis eloquentia, p. 4. Quintilianus ſolus eſt, qui ex veteribus prolixius de ea egit, p. 5. non obſtet gravitati oratoris, 120.*

Actionis cura *Eccleſiaſte non eſt indigna, p. 7. Reſpondetur objectionibus, p. 8. non tamen Eccleſiaſtes in venuſtate Actionis primariam collocabit operam, p. 9. Proteſtatio Auctoris de præceptis Actionis, p. 8. Actionem non neglexerunt Apoſtoli, p. 10.*

Actionis elegantia *non eſt ſpernenda, p. 17.*

*Advocato non eſt indigna, p. 14. ſine ea, cauſa cadere poteſt, qui optimam male defendit, p. 15.*

Actio & Pronunciatio elegans *attentos faciunt judices, p. 15. efficiunt ut Orator ſincerè vereq́, dixiſſe exiſtimetur, 14. abſque illis, ea quæ dicunt, ipſi vix credere putantur, 14. ſ.*

Actio *differt ab* imitatione, *non hæc ſed illa decet Oratorem, 119, 120.*

Actionis decorum *nec ſine arte, nec totum arte tradi poteſt, 119. Quare & in quem finem* Advocatus actioni *operam det, p. 13. &c. p. 35.*

*Advocatus in bona cauſa licet Actione abſtineret, mala cauſa patronus non ideo eam negligeret, 15. Auguſtini elegans hac de re ſententia, ib.*

Advocatus *ut perſuadeat judici, quomodo ſe gerere debeat, 44.*

Ars *bene* pronunciandi *& Actionis Oratoriæ, non eſt ſuperflui ſtudii, p. 16. hoc ſimilibus elegantibus illuſtratur, ib.*

*Artis hujus exercitio Demoſthenes & Ci-*

Q

*& Cicero maximi Oratorum facti ſunt, p. 18.*
*Admonitio de* Actione p. 10. *de omnibus hujus libri regulis & præceptis, p. 88.*
*Adrianus Phœnicius,* 37.
Æqualitas pronunciationis *primùm obſervanda,* 106.
Æſopus *Actione excellens,* 80, 73.
Affectus *quomodo ciere Orator poſſit in ſe & in Auditoribus,* 44. *ſeqq.*
Alcibiades *adoleſcens vitiorum ſui parentis imitator,* 21.
Alexander M. *celerrime incedebat,* 21.
Anadiploſis *quomodo pronuncianda,* 62, 63.
Anaphora, *quomodo pronuncianda,* 63.
Andronicus, 26.
Antitheſis *quomodo pronuncianda* 62.
Apoſtrophe *quomodo pronuncianda* 58.
Ariſtoteles *balbus vel blæſus fuit,* 21.
Attalus *Rex in loquendo nimis vehemens fuit,* 38.
Auditus *diſciplinarum ſenſus,* 23. *ut quisque audit, ita movetur,* 99.

B.

Brachii *moderatio* 114.
B. Briſſonius *mala actionis Orator fuit,* 21.

C.

Cantandi *vitium in Oratore,* 109.
Caput, *ut, in corpore, ita in Actione præcipuum,* 111.
*de* Cervice *Orantis,* 114.
Cicero *qua ratione tantus Orator factus,* 18. 19. *agreſtem ſuam vocem quomodo emendaverit,* 31. *ab exilio revocatus ope Amici* 80.
Cœloſtomia *vitium pronunciationis,* 29.
*Comœdorum ars omnis imitatione conſtat,* 115. *eorum error notatus, ibid.*
*In* Confirmatione *quali voce utendum,* 55.
*Conſuetudinis in dicendo, vis,* 103.
Contemnendi *verba quomodo pronuncianda,* 49.

D.

Decorum *Actionis caput eſt,* 119.
Demetrius *Comœdiarum Actor, ib.*
Demoſthenes *qua ratione tantus Orator factus,* 18. *quomodo naturalia vitia, quibus laboravit, ſuſtulerit,* 25. *&c. & longiorem ſpiritum ſibi comparaverit,* 65. *humeros tollebat indecore, quomodo ei vitio obviam iverit,* 82.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00142 DFG

Dialogismus *quomodo pronunciandus, 58.*
Diſcipuli *ſæpe imitantur præceptorum vitia, 21.*
Diſpoſitio *Oratoriæ pars non poſtrema, 1.2.*

E.

Elocutio *non poſtrema Oratoriæ pars, 62.*
Eloquentia *in Oratore Eccleſiaſtico a nonnullis reprehenſa, 2.*
Epimone, *quæ figura, & quomodo pronuncianda, 59.*
Epizeuxis *qui pronuncianda, 63.*
Eunomus *Rhetor celebris. 26.*
*Exercitatio vocis utilis, 104.*
Exordium *quomodo pronunciandum, 52,53.*
Exordium ex abrupto, *ejus exempla, 53.*

F.

Facies *hominum infinitam habet differentiam. 102.*
*Fauces tibiis ſimiles, 105.*
Figuræ, *Orationis lumina, quomodo pronunciandæ, 56. & ſeqq.*

G.

Geminius Varus, *malus Orator, 40.*
de Geſtu *in genere, & cujus ille ſit momenti, 72,73.*
Geſtus *pronunciationi junctus perfecte cogitata animi indicare poteſt, 73.98.111.*
Geſtus *ſuperat pronunciationem, ib. & 111. ſit naturalis non affectatus, 74. non offendat oculos auditorum, ib. eſt veluti communis lingua omnium gentium, ib. vita Orationis. ib.*
*Geſtus conveniens rei una cum pronunciatione apta, admirabilem habet effectum, 73.*
*Geſtum aptum eſſe oportet & decorum 74.*
*Geſtum formandi modus ope ſpeculi, 27, 75.*
Gradatio *quomodo pronuncianda, 61.*

H.

Haterius *præcipitantis erat linguæ, ſolens nimium effundere verba, 38.39.*
Homines *ſonis, ut æra tinnitu, dignoſcimus, 104.*
Hortenſius *geſtu perfecto utebatur, 75. ideo gratiores ejus orationes erant, quam ſcripta, 4.*
Humeri *quomodo tenendi inter orandum, 82.114.*

I.

Imitationi *naturâ dediti ſunt adoleſcentes, 20. cavendum ipſis ne vitia imitentur, 21.*



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00143

Imitatio *rationem non exempla ſolum ſequatur,* 22.
Inæqualitas *vitium pronunciationis,* 106.
Inſtantia *figura, quomodo pronuncianda,* 59.
Inventio *primaria oratoriæ pars,* 1.2.
Iracundi *qualis vox & pronunciatio,* 45
Iſocrates *Orator celebris, voce tamen ad pronunciandum ſufficiente deſtitutus fuit,* 24.

L.

Labra *Oratoris,* 113.114.82.
Lacrym s *Oratoris excitatur miſericordia in auditorum animis,* 79. &c. *q a ratione lachrymæ eliciendæ, exemplis monſtratum,* 79, 80.
*Ad* Laudandum *quomodo Orator animum & vocem præparare debeat,* 44, 48.
*Cn.* Lentulus *pronunciatione plus opinionis conſequutus eſt, quam eloquentiâ,* 100.

M.

Maillardus, (Oliv.) 32.
Manus *primarium inſtrumentum Actionis Oratoriæ,* 83. *quomodo movenda,* 83, 84, 85, 114.
*Manu utraque quinam geſtus exprimendi,* 84. 118.

*Martianus Capella reprehenſus,* 37.
Mentum *Orantis,* 114.
Miſericordiæ *movenda vox apta.* 47.
Monotonia, *magnum pronunciationis vitium,* 33. &c, 107. &c. *quomodo corrigendum,* 35.
Muſicæ uſus *in publico cœtu fidelium, tam Veteris quam Novi Teſtamenti tempore,* 10.

N.

*de* NAribus *Orantis,* 115.
*In Narratione qua voce uti debeat Orator,* 54.
*ex Natura ſua, non tantum ex præceptis conſilium agendi capiat Orator,* 119, 120.
Naturæ rerum *gratiæ debentur, cum utile jucundum eſt,* 95.
*Natura inemendabilis non nullorum,* 101.
*Nôrit ſe quisque ut inter loquendum* decenter *ſe gerat,* 116, 120.

O.

Oculi *ut regendi inter orandum,* 78, 79, 81.
*Orator medium in perorando ſervet, vocem nec nimis elevando, nec nimium deprimendo,* 36 37. *a ſaltatore plurimum abeſſe debet,* 115. *nec nimis celeriter, neque nimis tarde pronunciet,* 38, 39, 40.

*Varieta-*

*Varietas in omnibus delectat*, 40, 41. *quomodo pro variis affectibus vocem variare debeat*, 44. &c. *quomodo ratione figurarũ*, 56 &c.
Oratores vociferantes *claudis ſimiles dicuntur*, 37.
*Orator Eccleſiaſt. ad perſuadendum quomodo ſe inſtruere debeat*, 44, 45.
de Ore & *labiis Oratori recte movendis*, 82.
Oratio *dividitur in Sermonem, Contentionem & amplificationem*, 96.

P.

Parrheſia *quomodo pronuncianda exemplis docetur*, 60, 61.
Pauſanias *ſophiſta ſpretus & irriſus ob vitioſam pronunciationem*, 70.
Pericles *nullam ſuarum orationum publicavit, & quare*, 9.
Periodi *non unius ſunt generis*, 64. *quomodo pronuncianda*, 165. & *ſeqq.* Spiritus *dicta*, 66. *partes periodi quomodo pronunciando diſtinguenda*, 68. *poſt periodum exiguam pauſam faciat orator*, ib.
*Periodus gravi an acuta voce incipienda* 69. *parcendum voci, quoties ſequitur periodus contentionem ſingularem flagitans*, 69.
Perfectum *ſit natura curà accedente*, 101.
Peroratio *quomodo pronuncianda*, 55.
Philiſcus *Orator*, 2.
*Pituita Oratoris, indecora*, 109.
Platiaſmus *vitium pronunciandi*, 29.
Polus *Comicus celebris, qua ratione lacrymas ſibi ſuisque auditoribus expreſſerit*, 79.
Pronuntiatio *Oratoris debet eſſe clara*, 23. *quæ incommoda ſi Orator non facile poſſit audiri*, ib.
Præcipitantiæ *quomodo occurrendum*, 28.
*Pronunciatio litera R. quomodo curanda*, ib.
Pronuntiationis vitia *varia*, 29. *vis quanta*, 100. *ut Orator facilè intelligatur duo ſunt requiſita*, 29.
Pronunciatio bona *perficit ut res ex animo agi videatur*, 99.
*Pronunciatio ſola, nihil valet*, 94.
*Pronunciationis Regulis perceptis, quænam cogitanda Oratori dicturo*, 116, 119.
*Pronunciatio Naturam & rectam rationem ſequatur*, 34.
*Pronunciatio clara eorum quæ leguntur aut memoriæ mandantur, ſanitati confert, ſi moderata ſit*, 27.
Pronuntiationis diviſio *in Vocis figuram & corporis motum*, 94.
Proſopopœia, *quomodo pronuncianda, exemplis docetur*, 57.



Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00145

Q.

Querela *de atroci injuria illata qua voce pronuncianda,* 50. 51.

R.

Ratione *quidem utuntur omnes homines, ſed non ſemper ut decet, ideo arte ratiocinandi opus eſt,* 17.
Reſutatio *quomodo pronuncianda,* 55.
Reticentia *quomodo pronuncianda,* 61.
*Rerum de quibus verba facienda generalis diviſio,* 42.

S.

Satyrus *Rhetor,* 25.
Senecæ elocutio *vitioſa,* 22.
Serapio *quam celerrime pronunciabat,* 38.
*Sermo communis omnium hominum in geſtu eſt.* 114.
Siniſtra ſola *geſtum recte non facit,* 116. *Exceptio, ib.*
*Scopus Auctoris in hoc libro ſcribendo,* 8. 9, 10.
Screatus *vitandus inter orandum* 31, 32.
Sermo *cum ſono fidium citharæ comparatus,* 44, 45.
Speculo *geſtus vitioſi cognoſcendi & corrigendi,* 71, 111.
Spiritus longior *labore & ſtudio acquiri poteſt,* 65, 66, 90, 108.
Stratocles *Actor comœdiarum celebris,* 119.
*de* Superciliis *Oratoris,* 81, 113.
*de* Subjectione, *qua pronunciatione proferenda,* 61.

T.

Trachallus *Orator,* 3. *clariſſima perorabat voce,* 23.
Tuſſis *inter orandum comprimenda, quantum poteſt.* 31, 32.

V.

Verbis ſingulis *pronunciandis attendendum,* 70. *emphaticis imprimis, ib. ratione quantitatis ſyllabarum, & univerſalitatis ſignificationis,* 70, 71.
Verba eadem, *mutata pronunciatione,* diverſa *ſignificant,* 118, 119.
Verba *periodorum* finalia *curatè pronuncianda,* 71.
*Verecundia ad conciliandum nihil gratius,* 117.
*Virtutes in quibusdam non habent gratiam,* 119.
Vinicius *nimis tardè loquebatur,* 40.
*Vitia etiam, non virtus ſolum in quibusdam delectat,* 119.

Vocis

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00146 DFG

Vocis *qualitates variæ*, 95.
Vocis *ut faciei, infinita ſunt* differentiæ, 102.
Vox Oratoris *ſit clara & maſcula*, 23. *ejus menſuram Auditorii ſpatium conſtituat*, 35. *ſit diſtincta & articulata*, 29. *ſuavis & grata auribus*, 31, 32. *varianda eſt*, 32, 33. *uniformis, quamvis ſuavis ſit, moleſta erit auditoribus*, 33. *vitium Monotoniæ quomodo tollendum*, 33, 34, 36. *& ſeqq.* 101, *& ſeqq.* 105.
Vox *ſana*, 104. *tractabilis*, 106. *ultra vires non eſt urgenda*, 108.
Vultus *in geſtu dominatur*, 112.

Z.

Zeno *Plinii Junioris libertus*, 37.

*F I N I S.*

---

## Errata.

Pag. 8. §. 9. l. 3. *leg. ponerent.* p. 46. l. 10. *inſeri hæc poſſunt.* Si miſericordia motus eundem affectum in aliis excitare velit, utendum eſt voce querula & lamentabili. p. 49. l. 4. del. *ſens.* p. 79. l. 2. leg. *Tauriſcum.* p. 91. l. 2. *Romanos.*

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00147 DFG

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00148

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00149
DFG

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
0 1 2 3 4
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00150

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00151

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
0 1 2 3 4 Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/drucke/725-helmst-dr-14s/start.htm?image=00152 DFG